

LUIS DEL ALCÁZAR, S.I.

In Evangelium Joannis (Sequitur)

[f.23v]

(Cap. 1) Lectio 9 Joannes testimonium perhibet de Ipso

Diximus in praefatione Evangelium Joannis commode in duas partes dividi, nempe in propositione, et explicatione sive narratione: hactenus ergo proposuit nobis sublimiori quodam stylo, et multo sublimiori sensu Evangelii summam. Iam vero descendit ad historiam et ea sigillatim narrat quae ab aliis evangelistis erant praetermissa et nota digniora videbantur. Nos in huius historiae explicatione necessario dicturi sumus quid de ordine rerum gestarum constet, et quid sit a Joanne omissum, et quomodo convenient inter se istae quatuor de eadem re historiae sacrae, quae prima facie adeo dissidere videntur.

Et distinctionis gratia universam hanc evangelicam historiam dividemus cum Joanne Bove in septem intervalla:

- 1^a, a conceptione Baptistae usque ad tentationem Domini in deserto.
- 2^a, a tentatione Domini usque ad carcerem Baptistae.
- 3^a, a Joannis carcere usque ad caedem.
- 4^a, a Joannis caede ad ultimum usque Domini adventum in Iudaea.
- 5^a, ab hoc adventu usque ad ultimam Coenam.
- 6^a, a Coena usque ad mortem et sepulturam.
- 7^a, usque ad Ascensionem.

Prima quidem intervalla sunt multo longioris temporis quam posteriora sed brevioris historiae, quia Christus qui tam diu obscuro vitae genere latuerat, in publicum tandem prodiens adhuc lente et paulatim virtutem et doctrinam suam ostendebat, ac quo propius ad mortem subeundam accedebat eo frequentius et insignius docebat, et mirabilia operabatur.

2. Historiam primi intervalli explicat Jansenius in sua Concordia¹, a capite 2^o usque ad 15^{um} inclusive, et ordinat optime in compendio quod ponit ante explicationem. Sed de hoc intervallo neque verbum noster Evangelista. Et

¹ JANSENIUS, *Comment. In Concordiam*, c.2-15. Lugduni 1580, p.17-131.

quidem tam diuturnum Domini silentium et tam longi temporis vitae eius obscuritatem alii etiam Evangelistae silentio sunt admirati. Magna nobis cum Virgine meditandi materia relicta et ad imitandum exemplari proposito. (*Conservabat omnia verba haec, etc.*) Sed cur nihil Joannes de gloria Nativitatis, de Magorum adventu, et aliis huiusmodi? Respondeo: praeter quam quod Joannes solet ea relinquere quae videbat ab aliis Evangelistis fuisse explicata, nisi necessitas aliud postulet, praeter hanc inquam rationem est nisi fallor alia propter quam Joannes merito ab iis abstinuit. Nam ea quae ad Christi pueritiam spectant sive infantiam, piis mentibus ut aiunt sunt tenerrimi affectus plenissima et in quibus qui valde amant, si suapte natura plus caeteris in amoris suavitate liquefiant, non se possunt continere, atque ita opus habent ab eorum tractatione cavere. Et plus cavendo significant quam caeteri ex professo tractando. Amantissimi Joannis natura et ingenium omnibus nota sunt, rei vero dulcedo et suavitas paucis; verum creamus viris spiritualibus qui haec aiunt esse multo pleniora teneri affectus quam ea quae Christus maior natu fecit aut protulit. Exemplum de Eucharistia. Vide simile artificium postea, capite 13, ubi accedebat Joannes ad institutionem Eucharistiae, et cum ibi nullum verbum de illa fecerit, nihilominus [f.24] Ecclesia in die Jovis Sancti quando eam institutionem celebrat, relictis aliis tribus Evangelistis qui de illa ex professo tractarunt, proponit nobis Evangelium Joannis ubi eam silentio involvit. Et locus communis est de rerum magnarum summa veneratione in silentio.

3. Ex historia primi intervalli solum videtur postulare intelligentia subsequentium ut supponamus quo anno aetatis et quo tempore anni Christus baptizatus sit. (Vide postea, c.2, lectione 1, n.2.) Inde enim pendet totius temporis quod a Joanne describitur comprehensio, et examen illius diligentiae in qua nonnulli laborarunt, nimirum circa diem vel tempus cuiuscumque miraculi vel concionis. Et sane valde iuvaret non solum ad piorum consolationem sed etiam ad historiae filum et ad multarum rerum perpensionem nosse quid in hac re certum esset. Sed nisi fallor vix est aliquid certi in hac re nisi Christum circa trigessimum annum fuisse baptizatum. Communis aut salten vulgaris opinio est sexto die Ianuarii fuisse Christum adoratum a Magis et baptizatum a Joanne et convertisse aquam in vinum. Et hanc sequitur Joannes Bove in sua praefatione; sed haec opinio vix habet aliud fundamentum nisi quod eodem die Ecclesia celebrat eas tres festivitates. Nam quod in officio ecclesiastico canitur *hodie in Jordane Christus baptizari voluit*, nihil aliud significat nisi eo die celebrari baptismum Christi, non tamen inde infertur eo die contigisse, ut bene probat Jansenius c.14 *Concordiae*², et patet quia Ecclesia

² CORNELIUS JANSSENS, *Commentarii in suam Concordiam*, Lugduni 1580, p.220.

adducit in eo festo homiliam Sti. Maximi³ in qua ait tria festa in eundem concurrere diem, sed quod in eo potissimum die contigerit ignorari. Praeterea ea opinio etiam manifeste contradicit Epiphanium, haeresi 51⁴, qui docet Christum fuisse baptizatum 7 idibus Novembris. Et in eadem sententia sunt qui ex Lc intelligunt baptizatum fuisse Christum cum esset fere 30 annorum, id est cum parum abesset ad complementum trigessimi anni, quomodo videtur exponere Irenaeus l.2, c.39⁵. Vide ibi Fevardentium⁶ et quod adducit ex B. Ignatio. (Vide c.2, lect.1, § 2). Verum hanc sententiam Epiphanii et Irenaei multi reiiciunt quia Lc ait c.3 *erat autem Iesus incipiens quasi annorum 30*, atque ita voluit ut Christus inciperet annum trigessimum. Dico 1^o, eam explicationem vix posse aptari textui, atque ita exhortae sunt inde variae lectiones quas refert Jansenius⁷.

Dico 2^o, illud *incipiens* non referri ad annum aetatis sed ad praedicationem et manifestationem sui, ut colligitur ex Act 1 et 10, et ita explicat Origenes, homil. 28 in Lucam, et Jansenius. Vide Chrysostomum, homil. 10 in Mt⁸. Unde solum habent ex Lc quod erat quasi 30 annorum. Dico 3^o, illud *quasi* dupliciter accipi posse: 1^o ut significet nondum fuisse 30 annorum sed parum abfuisse, sed ex hac loquutione ego non certo colligerem non defuisse illi integrum annum aut fere. 2^a posset explicari *quasi 30 annorum*, id est, de obra de 30 años poco más o menos, cum quo posset stare quod ageret 29 vel trigessimum primum. Sicut Mc 3 dicitur erat numerus *quasi* quatuor millia et Mt 5 *absolute* dicitur quod erat quatuor millia (contra Jn 6 [10] et Lc 9 [14] *quasi* quinque millia aut fere quinque. Vide etiam tamen Mt 14 [21] *quinque millia* et forte plures. Sed verisimilius est nondum implevisse trigessimum annum. Atque ita beatus Ignatius absolute ait trigessimo anno fuisse baptizatum, atque in hoc etiam conveniunt Irenaeus et Epiphanius⁹; et omnino contra vulgarem opinionem est firmum argumentum quod constet Christum suam incepisse praedicationem a baptismo Joannis, Act 1, scilicet post ieiunium, et tamen de illo integro fere anno nihil prorsus scripsissent Evangelistae quia haec testimonia Baptistae a quibus incipit noster Evangelista et prima vocatio Apostolorum omnino contigerunt proxime ante conversionem aquae in vinum. Atque ita verisimilior est Epiphanii sententia, et omnino [f.24v] illa designatio diei in tam gravi et tam

³ *Breviarium Romanum*, die V infraoctavam Epiphaniae. MAXIMUS TAURINENSIS, Homilia 22 (de Epiphania Domini 6). PL 57, 270.

⁴ EPIPHANIUS, *Adversus Haereses*, XI. PG 41,919.

⁵ IRENAEUS, *Contra haereses*, libro 2, c.39 (al.22). PG 7,783s.

⁶ FRANCISCUS FEVARDETIUS, O.P., Annotationes ad *Adversus haereses*, l.2, c.39. Coloniae 1596, p.192.

⁷ CORNELIUS JANSENS, *Concordia*, c.14, Lugduni, p.219s.

⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *Homil. 10 in Mt*. PG 57,183.

⁹ EPIPHANIUS, *Haeresi 51*. PG 41,902.

antiquo auctore ostendit receptam Ecclesiae traditionem ab Apostolis acceptam. Eam igitur nos deinceps sequemur.

Ratio cur eodem die celebrentur illa tria festa, licet non eodem die contigerint, nota est.

4. Post Baptismum statim sequitur ieiunium atque tentatio, ut patet Mt 4, Mc 1, et Lc 4. Unde tentationis dies videtur fuisse circa vicessimum diem decembris; quod si statim die 21 *vidit Joannes Iesum venientem ad se*, ut habetur n. [versiculo] 29, consequenter dies nuptiarum in Cana Galilaeae fuisset 25^a decembris, quia 3 solum dies intercesisse narrat Joannes, 1^{um}, quo *altera die iterum stabat Joannes*, n.35. 2^{um}, quo *in crastinum voluit exire in Galilaeam*, n.43. Et 3^{um}, de quo siletur, quia *die 3^a nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae*. Quod hac ratione contigisset in die natalis, et bene haberet ut Christus statim ac implevit 30^{um} annum aetatis illico coepit se manifestare. Postea manet Christus cum suis Capharnai *non multis diebus*, c.2, n.12, nempe duobus aut tribus ad summum mensibus, quia *prope Pascha ascendit Hierosolymam et eiecit e templo vendentes oves et boves* et fecit multa signa in ipso Pascha, n.23. Et colloquutus est cum Nicodemo, c.3. Et post haec baptizante adhuc Joanne *in Aenon iuxta Salim*, baptizabat etiam Christus per suos in Iudaea et multo plures ad eum veniebant, et cum nuntiatum esset Joanni reddidit illustrissimum de Domino testimonium. Nihil horum narrant caeteri Evangelistae, quia post tentationem transcunt ad Joannis incarcerationem, ut patet Mt 4,12 *angeli accesserunt et ministrabant ei. Cum autem audisset Iesus quod Joannes traditus esset*. Et Mc 1,14, *angeli ministrabant illi; postquam autem traditus est Joannes*, etc. Et Lc etiam c.4,14 ait *diabolus recessit ab illo et regressus est Iesus in Galilaeam et fama exiit per universam regionem* etc et narrat ea quae Mt et Mc aiunt post Joannis incarcerationem contigisse. Noster vero Evangelista, c.3, n.24, ait nondum missus fuerat Joannes in carcerem, quasi monere volens se id narrare quod caeteri Evangelistae praetermiserant, nempe quae contigerunt ante Baptistae incarcerationem. Historiam ergo secundi intervalli solus narravit Joannes Evangelista c.1, 2 et 3, et id est maxime observandum pro Evangelistarum concordia, ut monet Augustinus¹⁰, et hoc etiam Hieronymus, De ecclesiasticis scriptoribus¹¹, animadversum reliquit, et aperte Eusebius, 3, c.18, testatur id esse a maioribus acceptum et in Ecclesia confessum.

5. His praeiactis accedam iam ad explicationem locorum. Absoluta illa mirabili totius Evangelii propositione descendit noster Evangelista ad narranda

¹⁰ AUGUSTINUS, 2 *De consensu Evangelistarum*, c.18, PL 34,1097.

¹¹ HIERONYMUS, *De viris illustribus*, IX, PL 23,655.

Joannis Baptistae testimonia de Christo.

Sed ante narrationem peculiarem praemittit tria quorum connexio est satis difficilis, nempe: Joannem testimonium perhibuisse de Christo, et de plenitudine eius nos omnes accepisse, et Deum nulli unquam fuisse conspectum nisi Christo. Singula quidem vera sunt sed non apparet quomodo continuentur seu quomodo filum orationis deducatur. Huic difficultati se satisfacisse putant qui aiunt haec verba *de plenitudine eius nos omnes accepimus* etc usque ad illud *hoc est testimonium Joannis* esse verba eiusdem Baptistae, et haec opinio habet pro se Theophylactum¹² et Origenem, tomo 6, et Caietanum. Et facit quod Augustinus et Euthymius sine ulla mentione Evangelistae haec exponunt, et probant etiam quia illa verba *et de plenitudine eius nos omnes accepimus* aperte videntur testimonium inceptum prosequi, et illud etiam videntur ultima verba concludere quia sequitur *hoc est testimonium Joannis*.

Sed tum, quamvis haec omnia essent verba Baptistae [f.25] eadem erat in connexionione difficultas, nam sive ea dicat Evangelista sive Baptista, adhuc difficile erit filum deducere. Deinde contrariam sententiam aperte docent Chrysostomus¹³, Cyrillus¹⁴, Beda¹⁵, Rupertus, Glossa¹⁶, Lyra, Titelmanus atque Jansenius. Neque dissentiunt Augustinus et Euthymius¹⁷. Et haec sententia videtur esse magis consona rationi, ut constabit ex expositione.

6. Quod ergo attinet ad contextum omnibus perpensis dico non esse requirendam aliam connexionem quam enumerationem trium rerum quae in Evangelio postea latius explicantur. Quarum – 1^a est Christi dignitas Baptistae testimonio confirmata; - 2^a est abundantia gratiae quae in homines dimanavit; - 3^a vero divinorum mysteriorum notitia et revelation, quam Christus attulit mundo. Et ut appareat quam sit apta haec enumeratio, et quam bene cohaereat sensus, fac Joannem post illud *plenum gratiae et veritatis* subiecisse huiusmodi verba: Dei Verbum dixi factum esse carnem et habitasse in nobis plenum gratiae et veritatis; tria ergo mihi explicanda sunt: - 1^{um}, quomodo nobis eius dignitas innotuerit qui habitavit in nobis quasi unus ex nobis.- Alterum quomodo simus illum fontem gratiarum experti; - et 3^{um}, quomodo ille terram scientia Domini repleverit.

Certe in his verbis supervacancum esset aliam connexionem postulare;

¹² THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Joannis*, 1,16. PG 123,1162.

¹³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn. homil.* 14. PG 59,92.

¹⁴ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, 1,1, 1,16. PG 73,170.

¹⁵ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,643.

¹⁶ *Glossa ordinaria*, Jn 1,19. PL 114,358.

¹⁷ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem*, 1,16. PG 129,1123.

solum ergo superses ostendere an iste sit sensus ab Apostolo intentus. Et id ego mihi persuadeo — 1º, quia iste sensus est per se aptissimus, et aliae connexiones quas alii assignant durissimae. — 2º, quia valde consonat rationi ut Joannes hac veluti propositione complectatur omnia quae in Evangelio continentur, in quo nihil aliud docemur, nisi quis sit Christus in se, et illum esse nobis auctorem gratiae et magistrum divinae philosophiae. — 3º, quia hac ratione apparet quam apte cohaereat id quod post hanc enumerationem subsequitur, nam ipsa ratio videbatur postulare ut post hanc veluti propositionem statim explicetur id quod primo propositum est, atque ita, quia primo loco dixerat Joannes *testimonium perhibet de ipso*, ideo statim ad illud revertitur dicens et *hoc est testimonium Joannis*, nempe cuius integra narratio statim sequitur cum suis appendicibus, et alioqui non apparet cur bis proponatur hoc testimonium, nempe *hic erat quem dixi*, etc, quod proculdubio est unum et idem. — 4º, denique, nostra sententia, ex singularum partium explicatione confirmabitur.

7. *Joannes testimonium perhibet de Ipso*. Chrysostomus, homilia 12¹⁸ ait: sic Joannes utitur testimonio Baptistae ut caeteri Evangelistae testimonio Esaiiae, Hieremiae etc, quoniam omnes Joannem noverant et sciebant eum nihilo minoris auctoritatis esse superioribus prophetis. Hac ergo ratione videtur Evangelista declarare quam prudenter ipse cum suis condiscipulis fecerit recipiendo tanquam Messiam eum quem Joannes digito designabat. Et de huius testimonii auctoritate iam supra diximus lectione 6ª.

Deinde, quia in praesenti dicitur *testimonium perhibet et clamat*, explicat quidam quasi diceret adhuc testimonium Joannis vivit in ore et memoria omnium, ac si modo audiretur. Sed simplicius est praesens poni pro praeterito, ut, quamvis sint qui ex Chrysostomo¹⁹ et Cyrillo²⁰ suspicentur antiquiora, notat Erasmus, Jansenius²¹ et Caietanus. Nam et Graece legitur clamavit exemplaria habuisse clamat, ut nunc est in latino.

¿No le habíamos de recibir? Está clamando S. Justino, etc. [f. 25]

Utrumque sit, iste clamor, ex Cyrillo significat Joannem non in occulto sed publice et confidenter id praedicasse, et alluditur ad Esaiam 40 [3] *vox clamantis* etc.

8. *Hic erat quem dixi*. Nam ante Christi Baptismum eius adventum praedicaverat Joannes, ut patet Mt 3,11, Mc 1,8, Lc 3,16, *ego baptizo vos in aqua* etc.

¹⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 13* (al.12). PG 59, 87.

¹⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 13*. PG 59,88

²⁰ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, 1.1, 1,15. PG 73,166.

²¹ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.133.

Duo significat, scilicet et iam advenire, et eum esse Messiam vel post me venit qui venturus est, ya viene el que ha de venir.

Qui post me venturus est, quasi diceret qui post me venit, quem ego praeo et annuntio verbo et opere (ut dictum est lectione 6, n.3), ille est qui venturus est, id est, ille est verus Messias, qui, nomine *venturi* significabatur. Vide Abac [3] *veniens veniet* et Mt 11,2 *Tu es qui venturus es* etc.

Ante me factus est. Illud *ante* volebant arriani ut significaret prioritatem temporis, et quia non possunt ad humanam nativitatem referri, quae fuit posterior, colligebant Verbum, ut Verbum, esse factum atque creaturam. Hanc expositionem impugnant Chrysostomus²² homil.2, 15; Augustinus, tract. 3; Ambrosius²³, 3 De Fide ad Gratianum; Gregorius²⁴, homil. 7 in Evangelium; et in praesenti Cyrillus²⁵, Theophylactus²⁶, Euthymius²⁷, et omnes.

Et quidem contra Arrianos ex ipso textu est duplex ratio et utraque evidens: —1^a, quod esset ineptissima ratio "prius factum est quia erat prius". —2^a, quia in graeco non est propositio πρό, quae ad tempus referri solet, ut patet Ps 89 *priusquam montes fierent*, Prov 8, *antequam quidquam faceret*, et *ante omnes colles*, etc. Sed in praesenti est ἔμπροσθεν, quae numquam in eo sensu accipitur. Non enim significant quod hispanice dicimus *antes*, sed quod dicimus *delante*. Mt 5 [16] *sic luceat lux vestra coram hominibus*; et c. 6 [1] *attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*; et c.10 [32] *omnis qui confitebitur me coram hominibus*; et Mt 27 [1] *Jesus autem stetit ante praesidem*; et [29] *genu flexo ante eum illudebant ei*; Lc 21 [36] *ut digni habeamini fugere ista omnia et stare ante Filium Homnis*. Postea, ad Philip 3 [13] *quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae priora sunt extendens me ipsum τοῖς ἔμπροσθεν*, a lo que tengo delante. Notat etiam Budaeus in commentaries quod ἔμπροσθεν alicui fieri est opponi ei, ponēsele delante, non cedere.

9. **Sed obicies:** *emprosten* aliquando significare prioritatem temporis, quia Mt 11,10, Mc 1 [2], Lc 7,27, adducit ex Malac [3,1] *ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui praeparabit viam tuam ante te*. Sed illud *ante* in Joanne non significat nisi prioritatem temporis, ergo etc. Respondeo εἰsm, in hoc loco notandam esse concordiam Evangelistarum cum Propheta, nam hic ait *ante faciem meam*, illi vero *ante te* et *ante faciem tuam*, de quo vide Jansenium²⁸ c.13. Deinde dico το ἔμπροσθεν non significare temporis

²² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 3 (2); homil. 16 (15)*. PG 59, 41; 105.

²³ AMBROSIVS, *De Fide ad Gratianum*, l.3, c.4. PL 16,595.

²⁴ GREGORIUS MAGNUS, *XI. homiliarum in Evangelia*, hom.7. PL 76,1101.

²⁵ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 1,13. PG 73,166s.

²⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,15. PG 123,1162.

²⁷ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem*, 1,15. PG 129,1123.

²⁸ JANSSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.132.

prioritatem nisi quando in sua propria significatione, quam exprimimus per hanc vocem *delante*, includitur ea prioritas, v.gr. el que va delante llega primero. Sed hac ratione includit etiam vicinitatem, nam quod est ante faciem non multum distat, atque ita non potuit in ea significatione dici ante faciem Joannis productum esse Verbum, quia significaret post Verbi productionem statim sequutum fuisse Joannis adventum, quod est absurdum.

[f.26]

10. Sed videamus iam quomodo per eandem dictionem εμπροσθεν dicatur Joannes missus ante Dominum et Christus factus ante Joannem. Gregorius, homil. 7 in Evangelia et Beda²⁹ hic explicare videntur quasi diceret ille post me veniebat, sed iam nunc praecedit me, eo fere modo quo diceremus que Cristo venía detrás pero que corrió tanto que le cogió la delantera. *Exultavit enim ut gigas ad currendam viam*. Unde Beda: sic dicitur ante me factus ac si dicatur ante me positus. Et Augustinus: non factus est antequam factus sum ego, sed ante positus est mihi, quod metaphorice intelligendum est de praecedentia honoris, sicut Gn 48 [20] dicitur Jacob constituisse Ephraim ante Manasse. Et facit quod hic fere omnes notant de vi verbi graeci γενεσθαι, et de phrasi qua eandem sententiam explicarunt caeteri Evangelistae dicentes *qui post me venturus est fortior me est*, id est potentior, praestantior. Facit etiam quod ipse Baptista dixit *illum oportet crescere me autem minui*. Sensus ergo est ex Chrysostomo³⁰, Ambrosio et Thephilacto: licet ego prius baptizare et praedicare coeperim, tamen ille mihi dignitate praelatus est quia antequam ego fierem isc erat.

11. Considerata tamen huius testimonii excellentia quam tanti facit Evangelista, non solum intelligendum est Baptistam significare Christum esse maiorem et praecedentem in honore, sed etiam Christum esse verum Messiam, atque adeo non solum praelatum Joanni sed etiam praelatum et superiorem illius, et qui ipsi Joanni et omnibus proponatur ob oculos ad redemptionem ad imitationem ad venerationem et ad hauriendum ex illo yanquam ex omnium bonorum fonte salutem, gratiam, gloriam, etc. Nota vim huius phrases “hánmelo puesto delante”, scilicet, por dechado, por remedio, por maestro y por todo mi bien. Ut *sicut oculi ancillae in manibus dominae suae ita oculi nostri ad Christum Dominum nostrum donec misereatur nostri*. Vide illud Pauli [Rm 3,25] *quem proposuit Deus propitiationem*, etc.

Lectio 10

²⁹ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. Pl. 92,643.

³⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 16* (15). PG 59,105s.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus

1. De connexionione vide supra lect. 9. Deinde nota, praeter ea quae docet Jansenius³¹, in hac phrasi significari spiritum legis evangelicae esse similem Spiritui Christi, atque adeo accepisse nos, ut ait Paulus [Rm 8,15] *spiritum filiorum*, quia Christus est Filius Dei et *de eius plenitudine accepimus* [Joan 1,16]. Nemo tamen adeo stultus erit ut intelligat id ex gratia Christi detrahi quod christianis impertitur Deus. Unde colligitur quomodo accipiendum sit quod dicitur Num 11,17 *auferam de spiritu tuo tradamque eis*, ea nempe phrasi qua hispanice diceretur "tomaré y dareles de tu espíritu" id est quandam tui spiritus participationem, non tamen ita ut minor in te maneat spiritus.

2. *Et gratiam pro gratia*. Horum verborum multae sunt expositiones sed quatuor maxime commendantur: —1^a, Augustini³² et Bedae³³, qui Deum sua dona aliis donis praemiare interpretantur atque adeo tribuere gratiam beatitudinis pro gratia remissionis peccatorum, etc. —2^a expositio est Zachariae Constantinopolitani, quem citat Jansenius³⁴, et eam sequuntur Vatablus, Olandrus atque quia enim ipse Deo gratissimus est ideo omnesqui ei adhacrent per fidem vivam Deo accepti fiunt. Haec interpretatio videtur quam aptissime cohaerere cum eo qui praecessit *et de plenitudine eius nos omnes accepimus*, et facit Paulus ad Ephesios 1, [6-8] *gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus* Montanus³⁵, [f.26v] nempe, gratiam nos accipere pro gratia quae est in Christo: *redemptionem per sanguinem eius quae superabundavit in nobis*

3. 3^a exposition communior est: accepisse nos gratiam Novi Testamenti aut novae legis pro gratia Veteris Legis. Ita Origenes, tomo 6; Chrysostomus³⁶, homil.13; Cyrillus³⁷, Theophylactus³⁸, Eutymius, S.Thomas³⁹, Cyranus, Titelmanus, Jansenius⁴⁰. Et per gratiam Novae Legis intelligunt omnia beneficia simul cum lege praesita, magnam et apertam mysteriorum divinatorum explicationem, adoptionem filiorum perfectam, sacramenta, copiam gratiae et

³¹ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.133s.

³² AUGUSTINUS, *In Jn Evang.* tract.3. PL 35,1400.

³³ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,644.

³⁴ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.133.

³⁵ BENITO ARIAS MONTANO (1527-1598)

³⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 14* (13). PG 59, 94s.

³⁷ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 1,16. PG 73,174.

³⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,16. PG 123,1162.

³⁹ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.9, n.2. Ed. Vivès 1876, t.19, p.723.

⁴⁰ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p. 134.

donorum spiritualium. Pro hac expositione I^{um} videtur esse contextus: sequitur enim *lex per Moysen data est etc.* 2^a facit quod lex nova solet in Sacra Scriptura appellari gratia, ut *iam non estis sub lege sed sub gratia* [Rm 6, 14], et legem antiquam magnae cuiusdam gratiae loco numerat propheta regius Ps 147 [20] *non fecit taliter omni nationi*. Et quamvis nomen Gratiae non videatur ita proprie convenire Legi, tamen colatio et comparatio facit ut ei tribuatur nomen propter quandam similitudinem, sicut ipsa gratia appellari solet lex gratiae, et sicut dicimus lex Dei sequenda est potius quam lex mundi. Facit 3^a proprietates graeci sermonis, nam propositio graeca *anti* proprie denotat aliquid substitui in vicem et in locum alterius. Vide Jacobi 4, 15 *pro eo ut dicatis si Dominus voluerit*, id est ne amplius dicatis hodie aut crastino ibimus in illam civitatem sed loco eius loquutionis deinceps dicite, si Dominus voluerit, etc. Praeterea, Ps 44 [17] *pro patribus tuis nati sunt tibi filii*; Mt 2 [22] *audiens quod Archelaus regnaret pro patre suo*; Lc 11 [11] *numquid pro pisce serpentem dabit illi*.

4. Contra hanc explicationem est quod parum magnifice loqueretur Joannes de donis per Christum allatis si solum diceret nos per Christum accepisse quandam gratiam loco alterius gratiae. Et in Sacra Scriptura eo ipso quod aliquis sensus non contineat sententiam Sacra Scriptura Gignam, credendum est cum non esse legitimum sensum. Adde quod ipse contextus videtur postulare ut nomen Gratiae non tribuatur Legi, nam manifestae contraponit Legem Gratiae cum ait *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Ergo cum ait *accepimus gratiam pro gratia*, non cohaeret ut nomine gratiae intelligamus legem.

—4^a ergo expositio est *gratiam pro gratia*, id est omnem gratiam. Et hanc quidem expositionem fatentur omnes continere aptissimam sententiam et dignissimam Joannis intentione; sed plerique aiunt se non posse animum inducere quomodo *gratiam pro gratia* idem sit quod *omnem gratiam*, maxime cum vis praepositionis graecae videatur postulare ut unum vice alterius substituatur. Verum multae sunt phrases et peculiare idiotismi in quibus si apicibus inhaereamus et singillatim expendere velimus vim praepositionum, numquam consequemur verum sensum, ut armado de punta en blanco; dijole de ladrón; llamole de borracho; el traidor de fulano, etc. [f.27] Oportet ergo, ut sobrius interpretator non semper velit singulas dictiunculas minutatim expendere, et quasi circum rodere sed integram phrasim aliquando devoret et sibi persuadeat multa eiusmodi in omnibus fere linguis contingere, et maxime in hebraea; et hebraizant saepe Apostoli quamvis graece scripserint, quia vix est qui in alieno sermone non idiotizet ex proprio quem una cum lacte biberat.

5. Praeterea si ad vim praepositionis attendas prorsus non intelliges similem omnino phrasim quam habet hispanus sermo; nam proculdubio universalitatem continet apud nos si quis dicat *vendió todas sus alhajas una por una*: et quidem

si vis propositionis attendatur τὸ “por” apud nos aut explicat rationem aut substituit unum loco alterius, sed qui in ea phrasi velit ad eam proprietatem attendere merito irrideor. Adde quod haec ipsa phrasis hispana verisimile facit aliquam ei similem correspondere in hebraea, tum quod in barbaris linguis sunt fere communes idiotismi, tum etiam propter longam hebraeorum inter hispanos commorationem, unde orti sunt tot hebraeo-hispanismi qui valde iuvant Sacrae Scripturae intelligentiam. Praeterea eius phrasis universalitas confirmatur ex nostra loquutione in qua “una por una” est idem “omnino”, v.gr. “Una por una ya está echado el embargo”, id est omnino iam est appositum impedimentum.

6. Praeterea facit ille locus Iob 2 [4] *pellem pro pelle et cuncta quae habet dabit homo pro anima sua*: licet enim non sit eadem praepositio in graeco, est tamen eiusden fere significationis nempe ὑπὲρ cum genitivo, et in hebraeo *Bead*. Et quamvis Jansenius⁴¹ et multi explicent *pellem pro pelle*, id est unam propter alteram pellem, aut causa unius pellis dabit alteram, pellem filiorum pro pelle sua, id est ut pellem suam conservet, “por quedar con el pellejo” dabit ea quae sibi praetiosa et cara sunt, aut pellem unius membri pro pelle alterius nobilioris, ut significat Caldaeus, nihilominus simplicius est ut illa phrasis contineat universalitatem. Quod si obiicias eandem esse praepositionem in utraque lingua ubi dicitur pro anima sua, ergo eadem est vis et idem sensus. Respondeo, in hispano etiam eandem esse praepositionem por la vida dará todas sus alhajas una por una, et tamen ridiculum esset eandem vim utrobique exigere.

7. Itaque in praesenti *gratiam pro gratia* idem est quod omnem gratiam, in quo divinorum munerum effusionem significant. Vide illus Pauli [Tit 3,6] *quem effudit in nos abunde*, “y derramar es dar uno todo cuanto tiene”. Christo ergo adveniente videtur Coelum non solum instillasse guttas gratiae sed etiam ubertim effudisse et omnem gratiam nobis communicasse. Denique gratiam pro gratia, “que parece que un abismo de gracia llamaba a otro por medio de la predicación de los Apóstoles”; *in voce cataractarum* etc. Iste sensus egregie convenit in praesenti si verba sint Evangelistae, ut supra diximus.

Sed qui contenderit adhuc loqui Baptistam, quaerat aliam explicationem, nec enim video [f.27v] quomodo antequam Spiritus Sanctus effunderetur et ante quam tribueretur nova lex potuerit Baptista concionari et dicere: iam accepimus legem novam loco veteris, aut iam omnes gratiae nobis sunt communicatae, nisi quia fortasse dicat Baptistam tanquam episcopum de se solo loqui in plurali, sibi enim iam ille acceperat Spiritus Sancti plenitudinem.

⁴¹ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.133.

8. Superest in nostra explicatione videre quomodo cohaereat quod sequitur, nempe: quia *lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Respondeo, per haec optime probari omnem gratiam a Christo dimanasse, quia Moyses solum dedit legem, quae continet imaginem sanctitatis, non tamen veram sanctitatem et gratiam, quia haec per Christum facta est et quidem *omnia per Verbum facta sunt*, sed per Christum, id est per Verbum Hominem factum, facta est specialiter Gratia et Veritas. Ipse enim fecit homines gratos Deo et vere sanctos, ipse enim implevit quod in prioris legis figuris significabatur, ut explicat Hieronymus⁴², ad Gal 5 ibi: *evacuati estis a Christo*. Notat praeterea Chrysostomus hic quam apte opponat Joannes Legi Gratiam, Moysi Christum, danti facientem. (manda y haec y seréis bien servidos.) Notat etiam Cyrillus⁴³ quomodo Christus praeferatur omnibus Prophetis, et adducit, ex Ps 88 [7], *quis in nubibus aequabitur Domino*.

9. ***Deum nemo vidit unquam***. Sunt qui velint connectere Gratiam factam esse a Christo quia Christus videbat essentiam divinam. Pro qua explicatione facit Chrysostomus⁴⁴, Theophylactus⁴⁵, Euthymius⁴⁶, Augustinus⁴⁷ tract.3, Arboreus, Claudius (Oladius) atque Jansenius⁴⁸. Sed contra est quod Moyses non posset facere gratiam et reconciliare homines Deo, quamvis videret essentiam divinam. Praeterea non intulit Joannes Unigenitum qui est in sinu Patris ipse fecit Gratiam, sed *ipse enarravit*. Quod si dicas explicandum hoc esse de ea enarratione quae continet hominis intellectum et efficaciter disponat ad Gratiam, huiusmodi enarratio ministerialiter facta est ab Apostolis et concionatoribus antequam viderent Deum, et eo modo quo singulariter fit a Christo per interiorum motionem, non prout fieri a quocumque vidente Deum. Ergo in eo sensu impertinens fuisset dicere *Deum nemo vidit unquam*.

10. Augustinus⁴⁹ in Quaestionibus Novi Testamenti q.71, et Chrysostomus homil.4 De incomprehensibili Dei natura, exponit aliter: nempe, *Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit* hoc quod modo dixi, scilicet neminem vidisse Deum. Sed primum, hoc non satis cohaeret; deinde relinquit integram

⁴² HIERONYMUS, *Expositio in epist. ad Galatas* 5. PL 30,855.

⁴³ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, 1.1, 1.17. PG 73,175.

⁴⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.*15 (14). PG 59, 98.

⁴⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,18. PG 123,1163.

⁴⁶ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem*, 1,18. PG 129,1126.

⁴⁷ AUGUSTINUS, *In Jn Evang tract.*3. PL 35,1403.

⁴⁸ JANSSENS, *Concordia*, c. 16. Lugduni 1580, p.134.

⁴⁹ AUGUSTINUS, *Quaestiones Veteris et Novi Testamenti*, q.71. PL 35,2265.

difficultatem, scilicet quorsum dictum sit *Deum nemo vidit unquam*, nisi quis dicat neminem ante Christum potuisse nos facere certiores de Gratia Dei, id est de eius benevolentia et reconciliatione, quia nemo viderat Deum. Sed contra hoc est quod *multifariam olim Deus loquens Patribus in Prophetis* reddebat eos certos de iis quae revelabat absque eo quod prophetae viderent divinam essentiam.

11. Alii explicant Gratiam et Veritatem solum factam esse per Christum, quia cum Deum nemo vidisset nemo satis intelligere potuit quibus officiis aut operibus placeretur hominibus Deus [f.28] sed Unigenitus eius omnium secretorum conscius, docuit nos nihil esse in Veteri Lege quod ex se vim iustificandi haberet, et docuit quomodo accedendo ad ipsum iustificemur.

Sed contra hanc expositionem est quod aliud est facere Gratiam et aliud bene explicare rationem impetrandae Gratiae, hoc enim praestare poterat ille qui non vidisset Deum; et facere Gratiam non poterat ulla creatura quamvis vidisset Deum. Quare ego prorsus non video quomodo haec verba *Deum nemo vidit unquam* etc, pertineat ad probationem supradictae sententiae in qua dicitur *Gratia et Veritas per Iesum Christum facta*; multo ergo aptius est ut his duabus sententiis enumerentur duo maxima beneficia per Christum nobis allata, altera remissionis peccatorum, et altera expressioris cognitionis divinarum mysteriorum, nam licet eam potuisset Deus tribuere ante Christi Incarnationem, valde tamen erat congruum ut ea reservaretur doctrinae Unigeniti Filii Dei. Atque hac ratione videtur hunc locum intellexisse D.Thomas⁵⁰ hic, et Chrysostomus, homil. 14⁵¹, qui notat illud verbum *enarravit*, graece *exegesato*, significare expressiorem doctrinam et clariorem explicationem, unde graeci commentaria in expositionem alicuius libri vocant *exegesis*, id est exegemata, et latine aptissime dicuntur enarrationes. Porro *Sinus* significat secretum Patris atque adeo denotat nihil esse tam intimum Patri quod Filium lateat. Ostendit etiam *in sinu* affectum charitatis in Filium ut ait Augustinus in Quaestionibus Novi Testamenti 71. (*Ab ea quae dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui* [Mich 7,5].)

12. Deinde circa haec verba *Deum nemo vidit unquam* dubitatur an cum eis pugnet quod scripsit Augustinus, epistula 112, et libro 12 Super Genesim c.27 et 28, et S.Thomas 2 2, q.175, a.3⁵², et 1p, q.12, a.11, 2^{um}, nempe Divinam Essentiam visam fuisse a Paulo et Moyse in hac vita. Vide hipotiposis Martinez ubi pro contraria sententia citat Dionysium Areopagitam, Evaristum Papa

⁵⁰ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.10, n.1. Ed. Vivès 1876, t.19, p.724.

⁵¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 15* (14). PG 59,100.

⁵² THOMAS AQ., 2 2 q.175, a.3. Ed. Vivès 1872, t.4, p.448.

epist.1, Origenem, Naziancenum, Gregorium⁵³ 18 *Moralium* c.28, Nisenum, Hieronymum, Chrysostomum⁵⁴, Euthymium⁵⁵, Theophylactum, Theodoretum. Citatur etiam Cyrillus⁵⁶, Epiphanius, Eucherius. Y por la de S.Thomas citan a Basilio, Ambrosio⁵⁷, Anselmo, Athanasio y a todos los escolásticos, Durando⁵⁸ q.3 prologo, Scotus⁵⁹ 2, d.3, q.9; Henricus⁶⁰ 1p, a.24, q.2; Abulense, Lyra, Hugo, Ferrariense, Capraeolo, Soto, Palacios 1, d.1, disp.4.

Dico 1º que los escolásticos sólo estriban en autoridad de S.Agustín et quod senserit Augustinus saltem non constat. Su índice le cita por la contraria sentencia, verbum Moise etc. y donde dice que vió Moisés a Dios videtur loqui allegorice, et nomine Moisis intelligere homines spirituales que en vida mueren y gozan en cierta manera de la vista de Dios. Sic cum intelligo 12 De Genesi ad litteram, c.27 et epist. 112, c.13 etc. Praeterea D.Thomas se contradice 1 2 q.98, a.3 2^{um}⁶¹, y cita a S.Agustín, donde se declara, nempe 2 De Trinitate c.16, et epist.111, y en contrario está gente de más autoridad y el decreto del Papa.

Dico 2º quod pro nostra sententia non multum faciunt Chrysostomum⁶², Theophylactum⁶³ et illi qui videntur etiam Angelis negare visionem Dei; porque si erraron en lo uno, no valen por otra vez, et sic fortasse loquitur Basilius, Homilia 1 in Exaameron. [f.28v]

Dico 3º Si Sacrae Scripturae verba expendimus, manifeste apparet sino ullo fundamento asseri Moysem aut Paulum vidisse Deum. Et primum, locus Exodi 33 manifeste est pro nobis, ut bene ibi Cajetanus et Oleaster. Unde Augustinus⁶⁴ 2 De Trinitate c.16 ait quod ibi apertissime demonstratur id *neque desideranti* Moysi fuisse concessum, porque habiendo dicho que *loquebatur cum Deo facie ad faciem sicut amicus ad amicum*, rursus Moises desiderat videre faciem y se le niega *non poteris* etc. Et 12 De Genesi ad litteram, c.27 ait: quod Moises sentiebat, quod viderat et quod non viderat desiderabat, y eso se lo negó. Et

⁵³ GREGORIUS MAGNUS, 18 *Moralium*, c.28. PL 76,91.

⁵⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 15* (14). PG 59,98.

⁵⁵ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem* 1,18. PG 129,1126.

⁵⁶ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, 1,1, c.10. PG 73,175.

⁵⁷ AMBROSIUS MEDIOLANENSIS, *De Spiritu Sancto*, 1,1, c.1. PL 16,710.

⁵⁸ DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In prologum Sententiarum*, q.3. Antverpiae 1566, f.6v.

⁵⁹ JOANNES DUNS SCOTUS, *In 2 Sententiarum*, d.3, q.9. Ed. Vivès 1893, t.12, p.222.

⁶⁰ HENRICUS A GANDAVO, *Quodl. 4, q.9*. Anno 1518 (Reprod. Louvain 1961) f.99.

⁶¹ THOMAS AQ., *1p, q.98, a.3, 2*. Ed. Vivès, t.2, p.601.

⁶² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 15* (14). PG 59, 98.

⁶³ THEOPHYLACTUM, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,18. PG 123,1163.

⁶⁴ AUGUSTINUS, 2 *De Trinitate*, c.16. PL 42,863.

tract.3 In Joannem fere eodem modo argumentatur, et infert: loquebatur ergo cum Moise angelus portans typum Domini.

Alter locus est Numeri 12 [6] *si quis fuerit propheta Domini in visione apparebo ei vel per somnium* etc. De quo Augustinus⁶⁵, 12 de Super Genesi, c.27 ait "*nisi concupitam et desideratam Dei claritatem Moises videre meruisset non diceretur in Numeris palam et non per enigmata nec figuras Dominum videt*". Sed primum, Augustinus, si atente legatur loquitur allegorice, ut supra. Deinde iste locus non debet esse contrarius loco Exodi donde le dijeron *non poteris videre faciem Domini*. Y declarar que entonces no le vio y después sí, es no entender el lugar de los Números, ubi non agitur de aliqua peculiari visione, sed de modo quo solebat Deus familiariter agere cum Moise; ait enim *ore ad os loquor ei et palam Dominum videt*. Et confirmatur quia nemo ait quod solebat Moises videre divinam essentiam, ergo non agitur de ea visione.

Praeterea quilibet per se animadvertet superfluum esse novam visionem fingere si quod habetur Numeri 12 salvatur (ut aiunt) ex historia Exodi; sed discrimen inter Moysen et Prophetas satis intelligitur ex eo ipso quod habetur Exodo 33; ergo caetera sunt potius optata quam inventa. Probatur minor explicando quo modo intelligatur Deus Moysi visibiliter apparuisse, nempe eodem modo quo angeli assumpta corporali figura et ea sibi accidentaliter unita tanquam vestimento, praebent se videndos non ita ut videatur eorum substantia vel aliquid eis inhaerens sed ita ut nostris se obtutibus aliqua ratione se ipsos exhibeant et vere dicantur cum hominibus loqui, et ab eis conspici. Hac ergo ratione Deus cum Moise loquebatur in figura humana, ita tamen ut numquam ei per splendorem divini vultus licuerit faciem loquentis contemplari, sed solum terga semel. Nihilominus tamen loquebantur inter se sicut duo amici quorum alter v.g. non audeat oculos attollere et quidem huiusmodi familiaritas mirum in modum excellentiam Moysis manifestat supra reliquos Prophetas quibus numquam legitur ipse Deus corporaliter apparuisse, sed solum dicuntur vidisse Dominum vel quia viderunt angelum Dei nomine loquentem vel quia prophetae phantasiae obiciebantur figurae quaedam enigmatae quas eis Deus interius explicabat, ut cum Isaias dicitur vidisse Dominum, id est Christum sedentem super solum excelsum etc quae differentia inter Moysen et Esaiam arguit etiam multo illustriorem cognitionem divinarum mysteriorum concesam fuisse Moysi.

Et quod Num 12 non sit sermo de alia visione patet quia similiter anteponitur Moises prophetis in eo quod *ore ad os loquebatur cum Deo*, quae verba desumpta sunt ex 33 Exod, et continuo ipsa ostendit ad eum locum esse recurrentum. Quod si dicas quid sibi vult illud *palam et non per figuram*, vide Jansenium⁶⁶ hic qui expendit hebraeismum, et nota praeterea per figuras apte

⁶⁵ AUGUSTINUS, 12 *De Genesi ad litteram*, c.27. PL 34,477.

⁶⁶ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.134s.

intelligi spectra et imagines phantasiae obiectas. Et quod dicitur palam Dominum videre, cum sit sermo generalis, non solum intelligas dictum esse propterea quod vidit a tergo [f.29] figuram Dei, sed etiam propterea quod videbat eum splendorem a quo prohibebatur curiosius contemplari, quia illud est videre gloriam Domini, maxime cum verisimile sit que entre la luz veía el bulto, no de manera que pudiese mirarle a la cara sino así, a bulto, alioqui non postularet videre faciem, quia non haberet unde suspicaretur faciem corpoream eius qui secum loquebatur si no viera que de allí le salía el mayor resplandor. Et quidem simul optabat videre divinitatem, sed utrumque simul negatum est.

Sed rogabis cur concessum est Moysi a tergo contemplari et non ex facie figuram illam in qua Dominus apparebat. Respondeo illa verba *non poteris videre faciem meam* accipienda esse hoc sensu quasi diceret non conceditur tibi ut valeas faciem meam intueri quia non expedit, sed solu ut a tergo me fixis oculis contempleris, hoc enim et praesenti vitae et personae quam geris et meae maiestati congruentissimum est. Pro quo nota has peculiars concessions in quibus aliquid familiaritatis elucet inter creaturas et Deum semper esse plenas mysteriis et significationibus, ut dum Christus Petro manum porrigit dum Joannes recumbit super pectus eius. Sic ergo multa elucent appositissime significata in eo quod Moysi non permittitur intueri faciem sed terga Dei.

1º, ut summa reverential exigatur ab eo qui in oratione vel sacrificio accedit ad Deum; nam si quem valde revereamur non audemus coram in faciem respicere neque in eum nostros figere obtutus nisi a tergo.

2º, ut significetur eos qui contemplationi vacant non debere curiosius divina indagare, quia qui *scrutator est maiestatis opprimetur a gloria*, Ps 25,27; satis ergo sit aliquali cognitione contentos, veluti a tergo divina cognoscere et non velle in excaecantem splendorem intendere.

3º. Cum sit multo magis notus nobis ille quem novimus ex facie quam qui solum a tergo nobis visus est, in hac vita etiam maxime familiaribus non est norus Deus de facie sed solum a tergo, quia notitia quam habent est multo minor quam erit in alia vita, quia quamvis non solum contemplantur vestigial Dei sicut philosophi sed etiam ipsum Deum, tamen ea est obscura cognition et adhuc per fidem, nam visio faciei est clara Dei visio quae reservatur vitae futurae, et propterea dicitur *non videbit me homo et vivet*, id est nemo in hac vita me videbit.

4º. Apostolis concessum est coram Christum intueri et eius splendore frui, unde Joannes ait *et vidimus gloriam eius*, assignatur ergo discrimen inter Apostolos et Moysen, inter Legem et Evangelium, eo quod notitiam quam modo habet Ecclesia de Deo comparata cum notitia Synagogae excedit eam sicut notitia a facie cognitionem a tergo, quia in lege adhuc carnaliter homines vivebant et *non videbit Deum homo et vivet*, sed per Evangelium abstrahit homo a sensibilibus et caducis atque adeo mundo corde potest videre Deum. Similia his philosophatur Augustinus 12 Super Gn ad literam, c.27.

5^o, denique Moises repraesentat hominem in statu legis, et non posse intueri faciem est idem quod non posse levare faciem ad aliquem propter offensionis conscientiam, ut habetur 2 Reg 2; ergo cum lex tribueret cognitionem peccati et non absolveret, non poterat homo in statu legis levare faciem suam ad Deum; per legem enim cognitio peccati, atque adeo concidebat vultus homini coram Deo iuxta id quod habetur Gn 4, et solum poterat Deum abeuntem et terga dantem videre. Et de his hactenus.

Caeteri Sacrae Scripturae loci manifeste sunt pro nobis et praesertim iste quem prae manibus habemus, ut omnes fere interpretes fatentur, et inter eos D. Thomas, quia cum Moises et Christus [f.29v] comparentur et Joannes dicat *Deum nemo vidit*, omnino videtur Moisi denegare voluisse quod ei Scholastici concedunt; sed unus post alium abire credentes se Augustinum sequi, sine ulla alia ratione vel fundamento. Quare, cum constet Augustinum non esse re vera in ea sententia constabit etiam scholasticos tacite eam retractare, maxime cum eam reiiciat decretum Evaristi et communis Sanctorum Patrum a Dionysio Areopagita, et plerique expositores Sacrae Scripturae coacti ut aiunt ipsius Sacrae Scripturae textibus. Vide S. Thomas 1 2 q.98, a.3, 2^{um}67, et hypotiposeos Martínez I.2, c.2, et Feuardenem in Irenacum l.1, c.6⁶⁸.

Lectio 11

Et hoc est testimonium Joannis

1. Manifestum est haec verba cum subsequentibus debere connecti, ut diximus lect.9, quasi diceret revertamur ad testimonium Joannis et explicemus quando et qua occasione dederit illud. (Que no es locución muy formal, sino como *simile est regnum coelorum* etc.)

Quando miserunt Iudaei sacerdotes et levitas. Discrimen inter sacerdotes et levitas notum est. Vide Exod 28 et 29. Quare autem iudaei miserunt hanc legationem ad Joannem intelligitur ex I.c 3 [15], ubi ait *existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne ne forte ipse esset Christus* etc contra iudaeos, videbant enim impletum illud Gn 49 [10] *non auferetur sceptrum de Iuda*, videbant impleri iam Hebdomadas Danielis, legebant Isaias 40 [3] *vox clamantis in deserto*, ubi noverant Joannem baptizare et praedicare, et ideo scire optabant an forte esset Messias.

⁶⁷ THOMAS AQ., *1p, q.98, a.3, 2*. Ed. Vivès 1872, p.601.

⁶⁸ IRENAEUS, *Adversus... haereses*, studio et opera Franc. Feuardentii O.M., l.1, c.6. Colonia, 1596, p.66.

Chrysostomus⁶⁹, homil. 11, Theophylactus⁷⁰ et Euthymius⁷¹ aiunt eos odio atque invidia Christi misisse ad Joannem. Sed contra fere sentiunt interpretes cum Origene, quia nondum Christus Hierosolymis apparuerat neque unquam fortasse fuerat concionatus neque ullum miraculum fecerat. Itaque haec opinio Chrysostomi ex ipsa temporis historia refellitur, necnon etiam ex verbis Christi: In 5 [33s] *vos misistis ad Joannem... et voluistis ad horam exultare in luce eius.*

2. *Ut interrogarent eum tu quis es.* Desde que nacio comenzó esta pregunta *quis est.* Ut notat Chrysostomus, homil. 15 super Mt⁷². Corrió la carrera con cascabeles. Contra, Christus cum silentio *sicut pluvia in vellus* Ps 71 [6], *cum silentio* Is 8 [6]. *Quid vobis videtur de Christo? Cuius Filius est?* [Mt. 22,42].

Cum pater Joannis sacerdos esset et de primoribus et prope Hierusalem habitaret bene noverant omnes et praesertim eius contribuyes saccrdotes et levitae quis esset; non ergo quaerunt nomen eius et originem sed personae dignitatem, ut patet ex caeteris interrogationibus et ex ipsius responsione.

Sed dubitatur quomodo potuerint doctores legis dubitare an ipse esset Messias, cum scirent patrem eius esse ex tribu Levi et Messiam fore de tribu Iuda ut patet Mt. 22. Respondeo vel hinc constare saepe fuisse permixtas tribus sacerdotalem et regiam, atque ita Beata Virgo erat cognata Elisabeth et utraque, ut apparet ex utraque tribu.

3. *Et confessus est et non negavit.* Haec repetitio contentionem et vehementiam Joannis significant in asseverando se non esse Christum. Porro, ad intentionem potius respondet quam ad formam interrogationis. Solent hic perpendere concionatores magnitudinem honoris oblate et maximam Joannis sanctitatem in eo reiiciendo. Verum non est haec magna laus Baptistae, quia nemo mediocriter bonus, imo nemo non maxime malus interrogatus an esset Deus, affirmaret sibi eum honorem. Quare laudes Baptistae potius desumi debent ex adeo admirabili [f.30] sanctitate quae tanta ei conciliavit auctoritatem it interrogaretur an esset Christus.

4. *Elias es tu?* Sciebant ex Malachia 5 [5] Eliam venturum esse ante Christum. Unde Mt 17 [10]. *Quomodo ergo dicunt Scribae quod Eliam oportet primum venire.* Sed magna est dubitatio quomodo quaerant isti an sit Elias, cum sciant esse filium Zachariae. Jansenius⁷³ dicit apud iudaeos fuisse errorem

⁶⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 16* (15). PG 59,101.

⁷⁰ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn. 1,19*. PG 123,1166.

⁷¹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem 1,19*. PG 129,1127.

⁷² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt homil. 15*. PG57,223.

⁷³ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.136.

pitagoricae palingenesis. Vide etiam Origenem tomo 7, et S. Thomas⁷⁴ hic. Sed quamvis demus istum errorem fuisse inter iudaeos, tamen ad hunc locum explicandum non videtur pertinere, cum iudaei scirent ex 4 Regum 2 [11] non esse mortuum Eliam sed raptum in coelum et adhuc vivere ut praecedat adventum Messiae, ut habetur Malachia 4 [5]. Origenes ait eos qui quaesierunt *Elias es tu* fortasse ignorasse genus Joannis et dubitasse an subito apparuerit. Et similiter fere S. Thomas hanc interrogationem tribuit crassae cuidam ignorantiae qualem habuit de Christo Herodes, Mt 14, [Mc 6,16] *quem ego decollavi* etc. Aptius tamen est respondere iudaeos non habuisse pro comperto an ante Christum venturus esset ipse Elias Thesbites an alius qui cum moribus et vestitu referret, et saltem cum viderunt tempus Messiae iam adventare dubitare coeperunt an austeritas, zelus, abstinentia et vestitus Joannis eo pertineret ut ipse diceretur Elias in eo sensu in quo appellatus est Elias a Domino, Mt 11 [14], ratione spiritus et officii. Quod si obiicias locum Malachiac ita citari ab Origene *ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem* quod aufert omnem dubitationem. Respondeo 10 Thesbitem additum esse ab Origene, quia nec in hebraeo nec in graeco ita habetur. Sed dices: cur ergo negat Joannes se esse Eliam quandoquidem praecedebat ante Christum *in Spiritu et virtute Eliae*, Lc 1 [17]. Respondeo quod iudaei proculdubio interrogabant de Elia de quo loquutus est Malachias atque adeo merito negat quia illa prophetia loquitur de Secundo Domini adventu, ait enim *antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, quae verba ad diem iudicii pertinent ut patet Joel 2. Atque ita patet quomodo responsio Joannis non pugnet cum verbis Domini, Mt 11, et Lc 17, *Elias iam venit* etc. de quo vide Augustinum⁷⁵ tract.4, Gregorium⁷⁶, homil 7 in Evangelium.

5. *Propheta es tu?* Augustinus⁷⁷, tract. 4, Gregorius 7 in Evang., Rupertus⁷⁸, Glossa interlinealis et multi ex latinis, et Jansenius⁷⁹ intelligunt simpliciter interrogari Joannem an sit Propheta, et ipsum negare, quia non est propheta sed *plus quam propheta*, ut habetur Mt 11. Christum enim quem caeteri prophetaverunt, ipse digito ostendit. Et si se prophetam appellasset videretur asserere nondum Christum advenisse, nam prophetae praedicabant Christum futurum, atque ita Joannes in responsione significat se esse praecursorem Christi iam praesentis, et propterea simpliciter ait se non esse prophetam. Sed contra est primo quod articulus graecus designat certum

⁷⁴ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.11, n.1. Ed. Vivès 1876, t.19, p.729.

⁷⁵ AUGUSTINUS, *In Jn Evang Tract.4*. PL 35,1408.

⁷⁶ GREGORIUS MAGNUS, *Homil.7 in Evang.* PL 76,1099.

⁷⁷ AUGUSTINUS, *In Jn Evang. Tract.4*. PL 35,1410.

⁷⁸ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment. in Jn*, l.1. PL 169,233s.

⁷⁹ JANSENS, *Concordia*, c.16. Lugduni 1580, p.136.

quendam et eximium prophetam. Ex quo etiam refellitur quorundam e Christo quae habentur in paraphrasibus Erasmi et Titelmani, nimirum Joannem esse interrogatum an esset alius quidam ex veteribus prophetis; hae inquam expositiones satis refelluntur ex articulo, nam graeca sonant: *ζeres tú el Propheta?* Et contra primam obiicit bene Origenes quod in eo sensu non posset Joannes negare esse prophetam, quia esse plus quam propheta non tollit prophetae nomen neque exigit ratio prophetae absentiam Christi, ut patet Mt 11 *etiam dico vobis et plus quam propheta. I.e 1 et tu puer propheta altissimi vocaberis.* Quapropter graeci tractari aiunt de illo Propheta qui promissus fuerat Deut 18 [15]: *Propheta de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Deus,* atque ita Joannem non negare se esse prophetam sed esse Prophetam illum. Quod si obiicias ille Propheta erat Christus et iam Joannes dixerat se non esse Christum, ergo non id interrogabant, respondent graeci unam quidem Personam esse Christum et illum Prophetam sed tamen iudaei male intelligentes putabant forte esse diversas, imo [f.30v] (ut ait Lyra) erat eo tempore celeberrima inter iudaeos opinio Prophetam illum promissum in Deuteronomio venturum esse ante Christum. Ita exponit hunc locum Origenes Hom.7; Chrysostomus homil.15⁸⁰; Cyrillus⁸¹, Theophylactus⁸², Euthymius⁸³, Lyra, Montanus et alii.

6. *Ego vox clamantis in deserto.* Desumpta sunt verba ex Is 40 [3], et omnes Evangelistae de Joanne Baptista interpretantur. Quomodo vero contextus Isaiae patiatur ut ad litteram sit sermo de Joanne, vide Jansenium⁸⁴ c.13 Concordiae, et Foreirum et Osorium, Esaia 40. Et nota etiam aliter alios connectere, ut illud *suscepit de manu Domini duplicia* intelligatur de duplici supplicio quod coepit Dominus de iudaeis, altero per Chaldaeos altero per Pompeium, et subdat propterea iam advenire tempus misericordiae et vocem Joannis audiri. Sed magis placet Foreirum.

Deinde vox clamantis tripliciter accipitur : 1^o, ut idem sit vox clamantis atque vox clamans, quomodo etiam verti possunt hebraea. Pro quo hebraeismo adducit Hector Pintus illas phrases *filius perditionis, vas electionis*, pro filio perdito, vase electo; sed haec exempla nihil probant quia in eis ponitur genitivum abstracti pro concreto, non genitivum pro nominativo, verum fortasse eam phrasim fert idiotismum hebraeorum sicut nostro sermone dicimus "el traidor de fulano", id est el traidor fulano. Vel dicitur vox clamantis, id est clamor et vox contenta quasi a clamante prolata. 2^o exponunt ut non sit sensus

⁸⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 16 (15)*, PG 59,104.

⁸¹ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 1,22. PG 73,186.

⁸² THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,21. PG 123,1166.

⁸³ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. I Joannem* 1,19. PG 129,130.

⁸⁴ JANSENS, *Concordia*, c.13. Lugduni 1580, p.102.

formaliter ego vox clamantis, sed quasi diceret ego sum ille de quo scripsit Esaias vox cuiusdam viri clamantis meis auribus circumsonat dicens dirigite viam Domini, in quo sensu clamans est Joannes, et vox ipsius praedicatio. 3^a expositio est ut Joannes ipse formaliter dicatur vox clamantis Dei atque per illum dicentis dirigite viam Domini.

7. Deinde si ipse Joannes appelletur vox iuxta primam et tertiam expositionem, variae excogitantur eius appellationis rationes: 1^a est Ambrosii⁸⁵, Lc 3, Gregorii⁸⁶ homil.7, et Theophylacti⁸⁷ qui aiunt Joannem comparatum ad Christum appellari *vocem* nam hoc interest inter verbum et vocem, quod verbum est sonus articulatus et diserte prolatus, vox vero videtur esse sonus confusus in quo primo significatur Joannes esse inferior Verbo; deinde ut notat Epiphanius, 2 Contra haereses, fere in medio, et Chrysostomus in Imperfecto super Mt, c.3, qui a longinquo vult aliquid cum altero loqui primum edit clamorem et vocem inarticulatam qua nihil aliud significat nisi se aliquid dicere velle, et ubi illam vocem alter audierit, quae solum fuit praeparativa, tunc incipit qui clamaverat loqui; ergo Joannes fuit vox non tam ipse aliquid docens quam praeparans homines ut Christum loquentem audirent, quia Deus non aperuit nobis misericordias suas sed per Christum. Subtilis quidem excogitatio verum fortasse non satis cohaerens cum loco Isaiiae ubi sonus vocis articulae profertur, nimirum *dirigite viam Domini, rectas facite etc.*

8. Quare, si exponamus Joannem esse *vocem Dei clamantis*, magis crediderim ratione officii Joannem appellari vocem, como llamamos chirimía al que la toca, ergo cuius officium est clamare merito appellatur vox, et praesertim Joannes qui totus erat vox, totus sanctitatem et poenitentiam praedicabat non solum verbis sed etiam operibus, victu et vestitu, ut bene ait Hector super Isaiam. Augustinus, sermone 20 De sanctis ait appellatum fuisse vocem respectu Christi qui est Verbum mentale, quia sicut vox est quasi quoddam vehiculum ut verbum quod mente concipimus ad alios deferatur, sic Beatus Joannes fuit vox per quam ad nos Dominus protulit Verbum suum Incarnatum et per quam est declaratum. Et facit quod apte concionatores [f.31] appellantur *labia* Christi in Corpore Mystico; aptissime ergo Joannes crit quasi vox Verbi. Praeterea, si attendamus ad usitatum Sacrae Scripturae phrasim in qua vox Dei significat clamorem Dei tonantis, non erit abs re intelligere Joannem appellari tonitruum, sicut filii Zebedei appellati sunt Boanerges, id est filii tonitruui, nempe fulmina sicut ille alter dixit duo fulmina belli. Congruentissime igitur

⁸⁵ AMBROSIUS, *Expositio in I.c.*, c.3, v.4). PL 15, 1660.

⁸⁶ GREGORIUS MAGNUS, *Homil. 7 in Evangelia*. PL 76,1100.

⁸⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,23. PG 123,1167.

vita Joannis et eius officium explicatur per metaphoram tonitruī. Vide Ps 28 [4] *vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia* etc.

9. Deinde, circa illam vocem *clamantis* vide Hieronymum, ad Gal 4 [6]⁸⁸ super illud *misit Dominus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem*, ubi ait in Sacra Scriptura clamorem non tam significare magnitudinem sonitus quam magnitudinem rei et affectus. Quanvis simplicius est in praesenti clamorem referri ad publicam doctrinam, non in occulto sed palam et libere concionantis ut supra Joannes testimonium perhibet et clamat. Vide D. Thoma, 1p., q.107, a.4, 2^{um} 89.

10. **In deserto.** Isaias 40 [3] habetur *vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*, ubi primum nomen *deserti* proculdubio simpliciter accipitur ut sonat, et cum praecedentibus coniungitur, ut patet ex Evangelistarum explicatione et ex re ipsa. Vide illud Mt 3 *venit Joannes Baptista praedicans in deserto iudaeae, hic est enim de quo dictum est per Isaiam prophetam dicentem vox clamantis in deserto*. Quando vero subditur *rectas facite in solitudine*, tunc nomen solitudinis vel deserti dupliciter accipitur: 1^a a Foreiro, per parenthesim, quasi diceret vox clamantis in deserto parate viam Domini, vox clamantis in solitudine rectas facite semitas Dei nostri. 2^a solet accipi metaphorice et coniungi cum praeparatione viae quasi moneat Joannes ut in solitudine vel deserto praeparent Domino viam, qua ratione pulchre desumit Isaias methaphoram ab eo ipso quod prae manibus habebat, quasi diceret Joannes clamat in deserto ut in deserto praeparetur Domino via. Et facit quod sequitur *omnis vallis implebitur, omnis mons et collis humiliabitur*, quae videntur indicare viam ipsam in deserto praeparari. Porro quod Joannes clamet in deserto spiritualiter intelligit D. Gregorius⁹⁰, homil. 7 in Evangelia, ut ipsa Iudaea appelletur desertum atque ita etiam concionatores dicuntur clamare in deserto quando auditores non sunt dictis audientes et eleganter mundus deserto comparatur in quo vix hominem invenias sed feras, bestias atque serpentes unde ad homines Joannes clamabat *genimina viperarum* etc. ut perpendit Eusebius, De demonstratione evangelica⁹¹, 1.9 demost 5. Praeterea deserti nomen designat incultam et aridam tellurem atque adeo sterilem. Notat etiam Eusebius ibidem cur Joannes in deserto praedicaverit, nimirum ut significaret remissionem peccatorum non iam amplius per legis sacrificia contingere sed per purgationem lavacri in sitibunda deserta ac de

⁸⁸ HIERONYMUS, *Expos. in epist. ad Galatas*, 4. PL30,851.

⁸⁹ THOMAS AQ., *1p. q.107, a.4, 2.* Ed. Vivès 1872, t.2, p.9.

⁹⁰ GREGORIUS MAGNUS, *Homil. 7 in Evangelia*. PL 76, 1100.

⁹¹ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *De demonstratione evangelica*, 1.9, dem.5. PG 22,670.

gentibus collecta Ecclesia.

Deinde praeparatio viae in deserto dupliciter accipi potest: 1^o, ut id quod erat antea horridum et incultum purgetur pravarum affectionum, bestiis, et colatur et exornetur ut in cubilibus in quibus prius habitabant dracones oriatur viror calami et sit desertum in Carmel iuxta Is. 32 et *exultet solitudo deserta et invia*, Is. 35. 2^o intelligi potest moneri homines ut in seipsis viam Domino praeparent in deserto, id est, seorsum a turbis, relinquendo mundum, et eius strepitus fugiendo. Id quod etiam docebat Joannes non solum verbo et exemplo sed etiam facto praedicans in deserto ut eo homines audituri convenirent relictis civitatum turbis. [f.31v]

11. *Dirigite viam Domini sicut dixit Isaias Propheta*. Non posuit ad verbum testimonium Isaias noster Evangelista sed tantum illius summam. Verba enim Prophetae iuxta Septuaginta habent *parate viam Domini, rectas facite semitas eius*, atque ita posuerunt caeteri Evangelistae; in Vulgata vero iuxta hebraeum habemus *parate viam Domini rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Sed quid est *parare viam Domini*? Tertulianus⁹², 4 Contra Marcionem, et apertius Theophylactus, Lc 3⁹³, et Cyrillus⁹⁴ hic, explicant idem esse *parare viam Domini* atque *ambulare* in via Domini. Quasi diceret: hactenus ambulastis in via Moisis, nunc ambulate in via Christi. Verum hebraicum verbum significat praeparare et expurgare, ut Gen 24 [31] *praeparavi locum camelis tuis*. Est ergo sensus: expurgate viam lapidibus et luto, etc, ut Christus ad vos veniat, expurgate corda vestra, praebete Deo semitam rectam per quam veniat ad vos, id est amovete impedimenta; via enim obliqua solet esse impedimento et taedio, recta autem est brevissima et expeditissima.

12. Metaphora sumitur ab advente reguē quipus cum diu expectati ad suos veniunt praeparatur eis summo Studio via obliquioribus in rectitudinem redigendis et arduis complanandis, atque ad id hortabatur Baptista, ut patet Lc [3,5]. Sed dices non bene cohaerere metaphoram quia iam Christus advenerat, *medius vestrum stetit* sed nondum agnoscebatur, unde non erat opus via sed oculis. Respondeo ex eo ipso evidenter probari Ioannem ad litteram egisse de spiritali adventu Christi in corda hominum per agnitionem et amorem, et eo modo hortatum fuisse ad excipiendum Christum sicut Ecclesia nos admonet in eo tempore quod appellamus *adventum*, nempe ut nos disponamus. *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Quamvis ergo adventus in mundum non pendeat ex hominum praeparatione sed potius *ubi abundavit delictum superabundavit et gratia*, tamen adventus in corda regulariter pendet ex anteactae vitae poenitentia

⁹² TERTULLIANUS, 4 *Contra Marcionem*, c.33. PL 2,472.

⁹³ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Lc. 3,5*. PG 123,735.

⁹⁴ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, I,1,1,23. PG 73,186.

et ex recte vivendi studio, et per haec, adiuvante Deo praeparamus iter illi ut veniat ad nos, id est, ut a nobis agnoscat et ametur. Et hoc est quod postulamus in oratione dominica dum dicimus *adveniat regn tuum*, nempe regnum coelorum seu Evangelium venga ya para mí este Rey y este Reino, id est fruar ego tanto bono et videam salutare Deum. Ad objectionem ergo Respondeo quod sicut latini dicunt venire in cognitionem ex parte cognoscentis, ita Sacra Scriptura multo congruentius dicit obiectum venire in notitiam mei et ad hunc adventum peculiariter requiritur via a singulis sternenda et praeparanda, neque opus est in praesenti declarare quomodo peculiariter iusti dicantur nosse Deum et Christum.

[f.32]

13. Porro quatuor vitia potest habere via quam volumus praeparare, nempe foveas, montes, ambages et offendicula. Haec omnia iubet Isaias seu potius Baptista ut auferantur nam futura debent per imperativum explicari dum ait: *omnis vallis implebitur*, etc. Porro nomine *foveae* licet ad litteram intelligere omnia cordis vitia quibus ea metaphora convenit, ut luxuriam, sicuti per *montes et colles* superbiam, per *ambages* fraudes, per *offendicula* scandala aut proximi offensiones, neque miror si quis aliter accipiat nam latus hic se aperit campus et licet multipliciter spatari dummodo sermo sit de via in corde praeparanda ad Christi cognitionem sicut explicant Origenes hic et Ambrosius et Basilius apud Jansenium⁹⁵.

Lectio 12

Et qui missi fuerant erant ex pharisaeis etc

1. Observandum hic est quod genus hominum essent pharisaei et quare sic dicti, de quo vide Iosephum⁹⁶, 13 Antiquitatum, c.8, ubi 3 sectas aut philosophias iudaeorum enumerat, nempe Essenorum, Sadducaeorum et Pharisaeorum. Et latius libro 18, c.2, ubi describit singularum instituta, et 2 De bello iudaico, c.7. Paulus etiam, Act 26,5 ait se fuisse pharisaeum atque adeo vixisse secundum certissimam sectam religionis iudaeorum, tum quia certiorum legalium rituum notitiam pharisaei profitebantur, ut ait Iosephus 2 De bello, tum etiam quia eorum dogmata erant vera et media inter extrema *sadducaeorum* et *essenorum* ut patet ex Iosepho. Legis ergo peritia et fortasse religionis zelus praebuit audaciam pharisaeis ut interrogarent Joannem cur baptizaret novam et inusitatum inducendo ex propria auctoritate ceremoniam cum fateretur se non esse Christum neque Eliam etc.

⁹⁵ JANSSENS, *Concordia*, c.13. Lugduni 1580, p.102s.

⁹⁶ FLAVIUS IOSEPHUS, *Antiquitatum iudaeorum*, l.13, c.8. Colonia Agripina 1524, f.143; l.18,c.2, p.196. *De bello iudaico*, l.2, c.7. f.254v.

2. *Pharisaei* dicuntur quasi separati, id enim eorum nomen significat, ut ait Hieronymus, Mt 22, unde ad eam significationem alludit Paulus ad Rom *segregatus in Evangelium Dei*, quasi diceret antea eram pharisaeus legis, iam vero pharisaeus in Evangelium. Et facit quod graeca vox *aphorismenos*, quae ibi est conspirat cum nomine pharisaeorum. Porro, Hieronymus, Is 8 [14] *in lapidem autem offensionis* putat pharisaeos et scribas initium habuisse a duobus hominibus qui dicti sunt Samai et Eleel non multo ante Nativitatem Domini. Sed obstat Iosephus, 13 Antiquitatum, c.8, qui sectatur illas tres sectas fuisse iam tempore Ionatae fratris Iudae Machabaei, et l.18, c.2, cum versaretur in historia eius temporis quo Dominus natus est ita incipit: Iudaeis igitur philosophiae tres erant iam inde ab initio institutis patriis derelictis essenorum, sadduceorum et pharisaeorum. Vide etiam Sixtum Senenesem, libro 2 Bibliothecae, verbum *Traditiones seniorum*⁹⁷, ubi etiam addit 4^{am} "galilaeorum" a Iuda Galilaeo non multo post exorta, de qua ibidem Iosephus. Nota praeterea pharisaeos non fuisse ex aliqua certa tribu sicut sacerdotes, sed ex omnibus, nam Paulus qui erat pharisaeus, fuit ex tribu Benjamin et ii qui mittuntur ad Joannem erant ex tribu Levi.

3. *Ego baptizo in aqua*. Haec verba etiam caeteri Evangelistae posuerunt sed non docuerunt quo loco et tempore dicta essent. Id ergo docet Joannes, sensus autem horum verborum est: meus baptismus aquae tantum est, et corpora solum lavat, designat autem atque figurat meliorem baptismum quo abluntur a peccatis mentes, ac proinde nihil facio quod non posit convenire ei qui neque Christus sit neque Propheta. Sed quidam conversatur apud vos cuius dignitatem [f.32v] et praestantiam vos adhuc minime cognovistis; Ipse est cuius praecursor ego sum, qui verum baptismum conferet. Unde Mt 3 [11] sequitur *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne*, id est ipse effundet super vos Spiritum Sanctum. Y aunque bautice con agua será agua ardiente, *aquae ardebunt igni coelesti*. Vide Is 64,2. Consentit locus Act 1 *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, et utrobique primus et literalis sensus est de adventu Spiritus Sancti in speciem ignis coelestis. Et facit quod sicut in baptismo effunditur aqua ita dicitur Joelis 2 [28] *effundam de Spiritu meo super omnem carnem*.

4. Dubitatur cur baptismus Joannis appelletur baptismus poenitentiae, Mc 1,4, Lc 3,10, Act 19,4. Caietanus, Mt 5,3, exponit appellari sic eo quod esset quaedam poenitentiae professio; sed contra est quod a Mt appellatur *baptismus in poenitentiam* et a Mc eadem phrasi *in remissionem peccatorum*, atque ita

⁹⁷ SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliothecae Sanctae*, l.2. Venetiis 1566, p.190.

constat eodem modo accipiendum esse utrumque, atque adeo non appellari baptismum poenitentiae quod eam contineret sed quod ad eam Joannes per baptismum homines hortaretur et ad remissionem peccatorum disponeret quasi moneret ut ea ratione intelligerent se esse peccatores et ablutione indigere atque adeo agerent poenitentiam et viam Domino praepararent.

5. *Cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti.* Ita etiam Mc 1 et Lc 3. Sed Mt 3 dicitur cuius non sum dignus *calceamenta portare*. Et quidem portat calceamenta famulus hero calceanti se, corrigia autem solvitur calceos exuenti; atque ita occurrit dubium circa Evangelistarum consensum. Augustinus⁹⁸, l.2, c.12 ait fortasse Baptistam *utrumque dixisse*, vel simul vel diversis temporibus, et si alterum tantum dixisset nulla esset falsitas in Evangelistis, nihil enim refert hisne an illis verbis res dicatur dummodo res eadem et sententia explicetur, et Joannes utraque ratione id ipsum significat, nempe se non mereri vel minimi famuli officium erga Christum. Ego, pro maiori concordia dicerem illam famuli portantis calceamenta phrasim non esse referendam ad induendos calceos hero sed potius explicandam esse eo modo quo famulus postquam exiit hero portat calceos etc, atque ita eodem pertinebit utraque loquutio, quasi diceret non sum dignus exuere illum et reponere calceos, aut sumitur fortasse methaphora ab eo qui affert novos calceos hero, et exiit eum veteres et sibi portat.

6. Circa haec verba dubitatur an Dominus fuerit usus calceis. Negat Lyra hic et replicatur Mc 1 [7] et Bonaventura in quadam epistola de hac re, tomo 1 opusculorum, f.272, et favet Hieronymus, epist.22⁹⁹ De custodia virginitatis c.8. Probant 1^o, quia Dominus Lc 10 [4] prohibere videtur discipulis calceamenta. Probant 2^o, ex Lc 7 [38] ubi legitur quod Maria *lacrimis coepit rigare pedes eius et capillis suis tergebat*. Probant 3^o, quia in Passione Domini milites *diviserunt vestimenta Domini* et nulla fit mentio de calceis. Sed contraria sententia est multo magis verisimilis et eam aperte docet Augustinus, serm. 1 de Apostolis, c.6; Erasmus, Mc 6 [9] super illud *calceatos sandaliis*; Burgensis, Mc 1; Jansenius¹⁰⁰ c.55 Concordiae. Probatur 1^o, quia Dominus non est professus vitae austeritatem sed communem in exterioribus et similem aliis. De quo vide S.Thoma, q.40, a.1¹⁰¹. Communem dico in cibo et potu et vestimentis, ut patet Mt 11 [18s] [f.33] *venit Joannes non manducans neque hibens et dicunt daemonium habet, venit Filius Homnis manducans et hibens et dicunt ecce*

⁹⁸ AUGUSTINUS, 2 *De consensu Evangelistarum*, c.12. PL 34, 1091.

⁹⁹ HIERONYMUS, *Epist. Ad Eustochium*, 22. PL 22,406.

¹⁰⁰ JANSSENS, *Concordia*, c.55. Lugduni 1580, p.417.

¹⁰¹ THOMAS AQ., 3p, q.40, a.1. Ed. Vivès 1872, t.5, p.185.

homo vorax et potator, et eadem est ratio in victu et vestitu. De quo etiam vide Augustinum Contra Faustum, c.31. Si ergo tantopere expediebat Christum non profiteri vitae austeritatem, quomodo nudis pedibus erat incessurus in ea regione in qua id communis usus non ferebat. Probatur 2^o, quia valde verisimile est Apostolos exemplum Domini fuisse sequutos et constat eos saltem sandaliis usos fuisse, Mc 6 [9]. Sandalium autem est calceamenti genus tergens plantas et laesione reservans, superne autem corium non habet sed arsulis quibusdam aut corrigiis alligatur. Patet etiam Act 12 [8] *calcea te caligas tuas*, ubi videndi sunt Oecumenius¹⁰² et Theophylactus¹⁰³, et Chrysostomus homilia super illud Ro ultimo *salutate Priscillam et Aquilam*, quae homilia habetur post homilias in epistolam ad Romanos; vide etiam Augustinum 22 Contra Faustum, c.77, et Castro, libro 4 Contra haereses in principio et verbo Apostoli, haeresi 2. Et confirmatur ex solea D. Petri quae Roma asservatur ut ait Bonaventura. Probatur 3^o ex loquutione Baptistae, quia licet ea sit veluti proverbialis, tamen ea non uteretur in homine quem discalceatum incedere constaret, ut docet Augustinus in sermone 1 de Apostolis c 6, dicens de his calceamentis quibus calceati ambulamus consolatur me Dominus meus, si enim ipse calceatus non esset non diceret Joannes *non sum dignus solvere* etc. Sed respondet inter alia Bonaventura Dominum fortasse usum fuisse calceis antequam publice praedicaret et postea praedicaturus abiectis calceos. Verum haec solutio non est verisimilis neque convenit cum Christi instituto qui prius docuit exemplo quam verbo, *coepit enim facere et docere* Act 1, a.1.

7. Multi putant has duas sententias conciliari posse si dicamus Dominum et Apostolos non fuisse usos integris calceis sed sandaliis, de quo egregie Jansenius¹⁰⁴ c. 55 Concordiae; et facit illud Mc 6 [8] *calceatos sandaliis*, et facit etiam quod ubi nos habemus *calcea te caligas tuas*, graece est *sandalia*. Sed **dico 1^o**: ex vocibus graecis aut latinis non posse certo colligi quae fuerit forma calceamentorum, nam fortasse alius erat usus in Syria et accommodantur ad vestimenta proximae voces latinae vel graecae, ut patet si quis velit reddere latine has voces: manto, manteo, capa, capote, serreruelo, galdres, etc. **Dico 2^o**: Dominum et Apostolos, sicut in victu et vestitu ita etiam in calceamentis omnino se accommodasse et conformasse cum illius gentis usu cui praedicabant, sed quia in eadem provintia et civitate sunt usus varii, eos proculdubio ut pauperes simpliciora et abiectiora elegisse ita tamen ut nihil novitatis et insolentis asperitatis prae se ferrent. Sed si sandaliis utebantur ea

¹⁰² OECUMENIUS, TRICCAE EPISCOPI, *Comment. in Acta Apost.* 12,8. PG 118,195.

¹⁰³ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev. Jn.*, 1,26. PG 123,1170.

¹⁰⁴ JANSENS, *Concordia*, c.55. Lugduni 1580, p.417s.

erat forma calceamentorum illius gentis vel si quandoque nudi incedebant id non tam ad professionem vitae pertinebat quam ad provinciae usum vel etiam ad defectum calcearum, ita ut qui eos nudis pedibus videret, non id peculiari ritui et praecepto tribueret neque eos a caeteris hominibus ea ratione dignosceret.

8. Ad argumenta ergo. Primum ad sententiam ad 1^{um} optime Jansenius c.55, et si ad nostrum morem accommodanda esset loquutio, cum ex Mc 6 pateat Dominum praecepisse ut incederent calceati sandaliis optima esset concordia si iter suscipientibus intelligatur Dominum praecepisse ut nihil curent de ocreis sed ut contenti sint eo quo utebantur calceamento, quasi diceret no es menester botas, bastan vuestros zapatos o alpargatas.

[f.33v]

Ad 2^{um} respondet Jansenius¹⁰⁵ Magdalenam potuisse lavare lacrimis pedes Domini quia sandalia gerebat, verum difficultas prorsus tolletur si animadvertamus morem fuisse apud veteres ut discalceati in conviviis accubarent ne calceis sordidarent praeciosa lectorum stragula in quibus accubebant et propterea etiam plerumque conviviis pedes lavabantur. Notavit hoc Dionysus Lambinus apud Horatium, l.2, epist.3 et Gulielmus Philander apud Vitrubium l.6, c.5. Et hoc in multis antiquis marmoribus cerni dicit multis Martialis et aliorum scriptorum locis confirmat, atque ideo apparet Exod 12 [11] preceptum esse de esu agni *renes vestros accingetis et calceamenta habebitis in pedibus*, nam ut festinanter ederent praecepit omnia fieri contrario more quam solebant et ideo vult ut renes accingant quoniam qui sine festinatione edunt vestem et cingula laxare solent, eodem modo vult ut calceamenta habeant in pedibus quoniam in aliis coenis edebant sine calceis. Ad 3^{um} respondeo fortasse Domino detractos fuisse calceos in domo Caiphac vel Pilati etc, et non licuisse per tempus iterum eos induere atque adeo nudis pedibus pervenisse ad Calvarium. Vel si adhuc gerebat calceos vel sandalia, non curarunt milites de re adeo vili, vel si unus eorum sibi accepit non opus erat ut id Evangelistae notarent, quia aducentes locum Ps 21 [19] *diviserunt sibi vestimenta mea* etc, id agebant ut impletam esse prophetiam ostenderent, vel fortasse in nomine vestimentorum intelliguntur etiam calceamenta.

9. Sed revertamur iam ad verba Joannis *non sum dignus ut solvam corrigiam*, nam aliter etiam exponunt Sancti Patres. Hieronymus, Mt 3; Gregorius¹⁰⁶, homil.7 in Evangelia, et Beda hic intelligunt Joannem respexisse ad eam ceremoniam quae praecipitur Deut 28 [25,9], et habetur etiam

¹⁰⁵ JANSSENS, *Concordia*, c.55. Lugduni 1580, p.418.

¹⁰⁶ GREGORIUS MAGNUS, *Homil. 7 in Evangelia*. PL 76,1101.

Rut ultimo [4,7], iuxta quam qui duxerat uxorem propinqui defuncti detrahebat calcium propinqui cedente de iure suo. Ait ergo Joannes non sum dignus solvere corrigiam, et sponsam Christo debitam mihi assumere, nempe Ecclesiam. Haec expositio convenit cum interrogatione iudaeorum et cum caeteris verbis Joannis in quibus ait se non esse Christum, et cum eo quod ait c.3 *qui habet sponsam sponsus est*. Alter sensus est ut per calcium, qui ex mortuo animali fit, significetur natura Christi mortalis, atque ita exponunt Ps 59 [10] *in Idumaeam extendam calceamentum meum*, id est notitiam incarnationis et humanitatis meae. Corrigia autem est ligatura misterii, ait ergo Joannes tantum abesse ut cum illo sit comparandum ut etiam ineffabilem unionem incarnationis Christi non possit digne id est idonee explicare atque veluti dissolvere nodum. Ita Origenes tom. 8; Hieronymus Mc 1¹⁰⁷; Gregorius supra; Beda¹⁰⁸ hic; Innocentius III, 1 De altaris mysterio c.34; Bernardus 5 De consideratione. Hos duos sensus Titelmanus atque Jansenius¹⁰⁹ appellant spirituales et mysticos, et sic solent Sancti Patres appellare eos sensus qui latent in verbis quando prima facie aliud significare videntur. Sed si sensum spirituales opponas contra litteralem, et litteralem appelles cum D. Thoma qui significatur in verbis proprie vel metaphorice sumptis iuxta intentionem dicentis, et spirituales eum qui significatur in re ipsa litteraliter significata, tunc sensus supra dicti non erunt spirituales sed litterales quia sensus litteralis est Joannem non esse dignum ministrare Christo vel in re minima, et haec indignitas Joannis non potest significare vel mysterium [f.34] illud de sponsa Christi vel alterum de eius Incarnatione. Sed haec significantur in verbis ipsis aliter acceptis quam prima facie sonant, et ex Patrum consensu non solum colligimus eas esse elegantes accommodationes sed etiam eam quoque fuisse mentem Joannis, maxime cum utrumque valde cohaereat cum contextu.

10. **Haec in Bethania facta sunt.** Notat Cyrillus¹¹⁰ hoc ad magnitudinem rei pertinere. Solent enim homines memoriae diligentius commendare loca ubi res magnae gestae sunt. Adde quod hac ratione rei veritas commendatur, nam ad confirmationem solent minutius singulae circumstantiae referri. Porro an legendum sit Bethania vel Bethabara vel Betharaba vel Bethbera. Vide Franciscum Lucam¹¹¹. Et nota Hieronymum, De locis hebraicis, legere

¹⁰⁷ HIERONYMUS, *Expositio in S. Mc* c.1. PL 30,613.

¹⁰⁸ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,647.

¹⁰⁹ JANSSENS, *Concordia*, c.13. Lugduni 1580, p.112.

¹¹⁰ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Evang.* 1.1, 1,28. PG 73,187.

¹¹¹ FRANCISCUS LUCAS BRUGENSIS, *In Sacrosancta J.C. Evangelia Commentarius*. Jn 1,28. Antverpiae. 1606, p.924.

*Bethabara*¹¹² et Jud 7 legi Bethbera non Bethbara.

Lectio 13

Altera die vidit Joannes Iesum venientem ad se, etc

1. **Altera die**, id est, in día después, nempe die continuo sequenti, ut patet ex voce graeca et ex quibusdam manuscriptis quae habent postera die. Ergo postquam Joannes respondit sacerdotibus missis ex Hierusalem, oportebat ut statim ostenderit populo eum de quo tam magnifice fuerat loquutus et propterea devicto Satana redit Christus ad Joannem ne forte putaretur prius ablutus fuisse in poenitentiam, ut cacteri, sed eiusmodi suspicionem hominibus Joannes ipse deleret explicata Christi dignitate. Ita Chrysostomus homil. 16¹¹³, Theophylactus¹¹⁴ et Euthymius¹¹⁵.

2. **Ecce Agnus Dei**. Eos alloquitur qui optabant Christum videre, et ponitur in graeco agnus cum articulo, quasi diceret iste est ille agnus pro hominibus sacrificandus et eorum peccata suo sanguine expiaturus, qui in lege per figuras promissus est, nempe in agno paschali, Ex 12, et in agno bis quotidie oblato mane et vespere, Ex 29. Cum enim caetera animalia certis temporibus et certis de causis immolarentur, agnus qui propter innocentiam et mansuetudinem propiorem Christi figuram gerebat, bis quotidie immolabatur. Praeterea, ut bene notat S. Thomas¹¹⁶, cum ait *ecce Agnus* tacite significat hanc esse victimam quam Deus sibi provisurus erat iuxta illud Gn 22 [9] *Deus providebit sibi victimam holocausti fili mi*. Et propterea dicitur agnus Dei quoniam ipsum Deus dedit mundo pro omnium peccatis offerendum, *sic enim Deus dilexit mundum* etc Jn 3,16. Praeterea alludit ad illud, Is 53,7, *sicut agnus coram tondente se obmutescit*. Dicitur etiam agnus Dei, id est Deo offerendus iuxta id ad Eph 5 [2] *tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo*. Praeterea Agnus Dei, id est Agnus divinus: solet enim hoc epitetum unamquamque rem suo modo maxime illustrare ut saepe alibi. (Nosti quid sit mentidor del Papa etc.)

3. **Ecce qui tollit peccata mundi**. Cur dicat tollit praesenti tempore explicuimus lectione 6, n.7. Ubi *quae illuminat omnem hominem*. Dicit autem *tollit* potius quam *remittit* quoniam non loquitur de Christo tanquam de Deo per

¹¹² HIERONYMUS, *Liber de situ et nominibus locorum hebraicorum*, Bethabara. PL 23,931.

¹¹³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 17* (16). PG 59,108.

¹¹⁴ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,29. PG 123,1171.

¹¹⁵ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem* 1,29. PG 129,1131.

¹¹⁶ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.13, n.1. Ed. Vivès 1876, p.737.

suam gratiam peccata remittere sed tanquam de sacrificio expiatio cuius oblatio non solum erat necessaria populo Israel sed et toti mundo et ideo mundi dixit ad dexteram agni legalis praeter quam quod noster agnus vere tollit peccata, alter vero expiationem potius figurabat quam continebat. Et aperte etiam Joannes Baptista significavit non solum iudaeos sed et gentes participes fore salutis Christi. Porro *peccatum* in singulare legit Origenes saepe, Eusebius¹¹⁷, libro 9 Demonstr. 5, Theophylactus¹¹⁸, Euthyhimius, S. Thomas, 3p, q.1, a.4¹¹⁹ et explicat de peccato originali, ad quod tollendum ait Christum principaliter venisse quia hoc est peccatum totius naturae et bonum universale praestantius est bono particulari. Ego hanc rationem non satis intelligo, quia peccata etiam actualia pervaserant universum genus humanum et id tandem est maius malum quod magis nocet, quare existimo D. Thoma loqui de originali, non ut condistinguitur contra caetera peccata sed ut est illorum origo et ea includit. Atque ita eodem redit si legamus peccata in plurali, [f.34v] quam lectionem sequitur Chrysostomus homil. 16¹²⁰, Cyrillus¹²¹, Augustinus¹²² tract.4; Beda¹²³ et fere communis latinorum consensus et usus ecclesiasticus dum ostenditur populo Sacramentum altaris, ut ex Chrysostomo et Cyrillo¹²⁴ constat olim fuisse in codicibus graecis sicut nunc dicitur esse in plerisque mss latinis, et Theophylactus¹²⁵, qui legit peccatum eodem modo interpretatur ut nomine peccati intelligantur omnia peccata sicut nomine hominis saepe intelliguntur omnes homines, et fortasse Joannes per prosopopeiam inducit inducit peccatum sicut saepe Paulus fingens quandam veluti personam quam Christus damnavit et quantum ad sufficientiam eiecit e mundo.

4. *Et ego nesciebam eum*. Locus iste facessit Augustinum, tract. 5 et De consensu¹²⁶, c.15, quia ante descensum Spiritus Sancti in Baptismo dixit Joannes, ut habetur Mt 3 [14] *ego a te debeo baptizari*. Et Augustini explicationem sequitur D. Thomas¹²⁷, et probat Theophylactus¹²⁸. Sed

¹¹⁷ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Demonstrationis evangelicae*, l.9, dem.5. PG 22,667.

¹¹⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Ev. Jn* 1,29. PG 123,1171.

¹¹⁹ THOMAS AQ., 3p, q.1, a.4. Ed. Vivès 1872, t.4, p.571.

¹²⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.17* (16). PG 59,107.

¹²¹ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 1,29. PG 73,191.

¹²² AUGUSTINUS, *In Jn Evang tract.4*. PL 35,1410.

¹²³ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. expositio*, c.1. PL 92,651.

¹²⁴ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 1,29. PG 73,191.

¹²⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn*. 1,29. PG 123,1174.

¹²⁶ AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, l.2, c.15. PL 34,1093.

¹²⁷ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.13, n.5. Ed. Vivès, 1876, p.741.

simplicius est si dicamus antequam mitteretur ad baptizandum certa fide cognovisse Christum iam esse in mundo sed nondum noverat de facie, ut bene ait Cyranus et Caietanus, et ideo nesciebat an Christus esset iste vel ille; cum autem missus est missus est ad praedicandum dixit ei Spiritus *super quem videris Spiritum descendentem* etc quasi diceret hoc signo cognosces eum, et antequam praeberet signum accedente Christo ad Baptismum interius revelatum esse Joanni quis esset ille homo et tunc dixit *ego a te debeo baptizari*, decebat enim ut prius eum determinate cognosceret quam baptizaret. Ita Chrysostomus¹²⁹, Theophylactus, Euthymius¹³⁰, Beda¹³¹ et plerique. Est ergo sensus ego nesciebam eum, quia numquam eum videram, quia ratione aufert testimonio suo omnem suspicionem docetque se non familiariter et amicitia sed divina revelatione adduci ad eiusmodi testimonium. Quizá el conocerle fue que antes de la señal barruntó la gran santidad del que se llegaba, y así no dijo sino *ego a te debeo baptizari*. Quod si obiicias: quid ergo necessario fuit columbam postea descendere si iam eum noverat. Respondeo, ut melius posset Joannes aliorum descendere si iam eum noverat. Respondeo, ut melius posset Joannes aliorum fidem confirmare. Et si rursus obiicias quomodo Joannes non cognoverat quem in ventre matris adoravit. Respondeo quia ibi adoravit sed non vidit neque ei facies est indicata sed maiestas revelata; neque si tunc vidisset posset postea virum agnoscere, quia numquam eum amplius vidit, cum bona venia meditationum D. Bonaventurae.

5. *Sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans*, id est meus baptismus non est ut per illum homines mundentur sed ut manifestetur Christus Israeli. 1^o, ex Chrysostomo¹³²: quia ad illum baptismum tanquam ad rem insolitam multo plures confluebant quam ad solam praedicationem, et tunc Joannes eis praedicabat adventum Christi et docebat quanto meliorem baptismum ab eo essent accepturi. 2^o, quia institutus est ille baptismus ut inter alios Christus veniret ad eum et descenderet Spiritus Sanctus et a Joanne manifestaretur omnibus. Abulensis, Mt 3, q. 88¹³³, ait descensum columbae visum fuisse ab omni populo qui aderat, sed verisimilius est quod ait Cajetanus visum esse tantum a Christo et a Joanne; si enim populus vidisset non esset iam necessarium Joannis testimonium, cum vox Patris fuerit audita *Hic est Filius*

¹²⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,31-34. PG 123,1175.

¹²⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 17(16). PG 59,110.

¹³⁰ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem* 1,31. PG 129,134.

¹³¹ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,649.

¹³² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 17(16). PG 59,109.

¹³³ ALPHONSUS TOSTATUS, EPISCOPUS ABULENSIS, *In Ev. Sti. Mt ad litteram expositio...* (Clementi VII dicatum) f.147.

meus, etc., et tamen post baptismum Christi non cessabat Joannes docere Christum esse maiorem. Et confirmatur quia dicit *ego vidi et tetimonium perhibui*, quasi diceret quanvis vos non videritis ego tamen vidi.

6. Dubitatur cur Spiritus Sanctus descenderit in specie columbae. Respondeo 1^o ex Beda¹³⁴, Lc.3, ut significaret se simplicitatis amatorem, nam *Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum*, etc Sap 1,5, non habet fel, etc; unde per baptismum descendit Spiritus Sanctus in eos qui habent columbinam simplicitatem et innocentiam vel potius eam ipse tribuit ut ait Chrysostomus et Eutymius, Mt 3¹³⁵, et Ambrosius¹³⁶ Lc 3. 2^o, ut veritas correspondeat figurae, huius enim [f.35] columbae figura fuit illa quae nunciavit Noe finem diluvii Gn 8, et sicut tunc erat diluvium aquarum, ita cum Christus venit abundaverant peccata sed eorum finem annunciavit nostra Columba. Vide S. Thomas hic et 3p, q.39, a.6¹³⁷. Et latius Abulensem¹³⁸, Mt 3, q.83.

7. Quaeri solet an haec columba fuerit verum animal. Augustinus¹³⁹, libro de agone Christiano c.27 omnino affirmat licet dicat eam non fuisse ex alia columba generatam sed virtute divina creatam. Idem sequitur S. Thomas hic et 3p, q.39, a.7¹⁴⁰. Sed opposita sententia verisimilior est et eam sequitur Augustinus epistula 102 ad Evodium et D. Thomas 1, d.26, q.unica a.3 ad 3^{am}; Procopius Gazeus Gn 8; Glossa¹⁴¹ Mt 3; Lyra Mc 1; Abulensis¹⁴² Mt 3, q.84 et 85. Jansenius¹⁴³ 14 Concordiae qui optime expendit rationes et argumenta utriusque partis. Porro quid significaverit illa mansio columbae super Christum vide Gregorium 2 Moralium, c.41, et Beda¹⁴⁴ hic.

8. ***Altera die iterum stabat Joannes.*** Hanc etiam diem fuisse continuo sequentem patet ex graeco. Quod autem Joannes dicitur *stare* indicat eius constantiam, stabat enim paratus ad suum officium exercendum testificando de

¹³⁴ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92, 649.

¹³⁵ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Matthaem* 4,16. PG 129,171.

¹³⁶ AMBROSIUS, *Expositio in Lc*, c.3, v.22. PL 15,1669.

¹³⁷ THOMAS AQ., *3p, q.39, a.6*. Ed. Vivès 1872, t.4, p.183.

¹³⁸ ALPHONSUS TOSTATUS, *In Ev. Sti. Mt ad litt. Expositio*, c.3, q.83. f.145.

¹³⁹ AUGUSTINUS. *De agone christiano*, l.1, c.22. PL 40,302.

¹⁴⁰ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.13, n.4. Ed. Vivès 1876, t.19, p.739. —3p, q.39, a.7. Ed Vivès 1872, t.5, p.183.

¹⁴¹ *Glossa ordinaria*, Mt 3,16. PL 114,83.

¹⁴² Alphonsus Tostatus, *In Ev. Sti. Mt .. Expositio*, c.3, qq.84,85. ff.145s.

¹⁴³ JANSSENS, *Concordia*, c.14. Lugduni 1580, p.118.

¹⁴⁴ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,650.

Christo, baptizando et docendo. Glossa¹⁴⁵ mystice per Joannem intelligit Legem quae *stabat* quasi ulterius non progressura sed Christo venienti cessura et suos discipulos eam traditura et interim de Christo constanter testificans.

9. **Rabbi.** Rab apud hebraeos idem est quod multus sive magnus et idem significat hominem honorabilem ob multiplicem dignitatem, vel quod unus instar multorum sit, unde duobus tribuitur hoc nomen Is 19 [20] *et mittet in eis pugnatores*; et principibus etiam tribuitur Esther 1 [8] *praeponens mensis singulos de principibus suis*; et gubernatori navis tribuitur Ionae 1 [6] *et accessit ad eum gubernator*, el maestro del navío; et sapientibus tribuitur Iob 32 [9] *non sunt longaevi sapientes*; imo sagitarius dicitur ab hebraeis Rab quia pugnus unus pro multis et brevi tempore multos occidit. Inter has ergo significationes Rabbi significat Magister, ut exponit Evangelista et omnes, quamvis Jansenius c. 17¹⁴⁶ putet significare idem quod magister meus, et quod hebraei dicunt Rabbi caldaice dicitur Rabboni, Jn 20 [16], licet eadem vox significet etiam idem quod dominus meus, ut Gn 23 [11] *nequaquam ita fiet domine mi* et ibidem [15] *domine mi audi me*; et Ex 32 *dignetur dominus meus*. In his locis semper est in Caldeo Raboni.

10. **Ubi habitas.** De hospitio et diversorio quaerunt ut seorsum ad eum doctrinae causa convenient.

Et *hora erat quasi decima*, atque adeo solum restabant duae horae dici quae refectioni et quieti tribui solebant. Et nihilominus neque Christus neque discipuli rem in aliud tempus differunt. Vide hic Euthymium¹⁴⁷. Porro quis fuerit socius Andreae non satis constat. Alcuinus apud D. Thoma credit fuisse Philippum, sed non id apparet verisimile ex textu. S. Thomas¹⁴⁸, Lyra et Jansenius¹⁴⁹ opinantur fuisse Joannem ipsum qui haec scribebat et propterea suum retinuisse nomen; sed Chrysostomus¹⁵⁰, Theophylactus¹⁵¹ et Euthymius¹⁵² rem sub dubio relinquunt.

11. **Andreas frater Simonis.** Glossa¹⁵³ et S. Thomas¹⁵⁴ dicunt Andream

¹⁴⁵ *Glossa ordinaria*, Jn 1,35. PL 114, 361.

¹⁴⁶ JANSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni 1580, p.139.

¹⁴⁷ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Joannem* 1,40. PG 129,1138.

¹⁴⁸ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.14, n.6. Ed Vivès, 1876, t.19, p.746.

¹⁴⁹ JANSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni 1580, p.139

¹⁵⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 18* (17). PG 59,117.

¹⁵¹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,38s. PG 123,1178.

¹⁵² EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Joannem* 1,41. PG 129,1139.

¹⁵³ *Glossa ordinaria*, Jn 1,40. PL 114,361.

fuisse natu minorem Petro et utcumque id sit non potuit Andraeas se continere quin fratri suum gaudium communicaret dicens *invenimus Messiam*. De nomine *Messiae* et *Christi* vide Lactantium¹⁵⁵, l.4 Inst. c.3 et 7, et Niceforum l.1, c.4. [f.35v] et Clementem 1 Recog. col 19. Galatinus, l.3 Contra Iudaeos, c.2, ex quibus patet cur nomen Christi in Sacra Scriptura commune sit regibus et prophetis et sacerdotibus, et quomodo apud iudaeos peculiariter denotet regiam dignitatem sicut Pharaeo apud egyptios et Caesar apud latinos, et quod in hoc sensu loquebantur iudaei de Messia, atque ita cum appellant Christum ducem, Daniel 9 [25], et Christum Regem, Lc 23 [2]. Sed habet in praesenti nomen Christi articulum, ut notat Chrysostomus¹⁵⁶ quo evidenter designaretur ille quem Joannes praedicaverat et quem populus expectabat.

12. *Unctio* quam Christi nomen importat explicari solet ex eo quod in Christo est duplex natura et altera ungit et altera ungitur. Ita Damascenus¹⁵⁷ l.3, c.3, et l.4, c.7; Rufinus in Symbolo; S. Thomas 3p, q.16, a.5¹⁵⁸. Vide etiam illud Is 61 [1] *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me*, et Ps 44 [8] *propterea unxit te Deus oleo laetitiae*.

13. *Messiam, quod est interpretatum Christum*. Videntur aliquando Evangelistae voces hebraicas reliquisse eo quod earum significatio non satis exprimeretur per graecas. Ita Hieronymus ad Gal 4 super illud *quoniam estis filii Dei*¹⁵⁹, et epist. Ad Marcellinum¹⁶⁰ (ubi affert Origenem) et in epist. ad Damasum, de Hosanna¹⁶¹, et Augustinus¹⁶², 2 De doctrina Christiana c.11. Reuchlin¹⁶³, De verbo mirifico, c.12. Praeterea deserviebat hoc ad unionem Ecclesiae ex hebraeis et graecis et ad unitatem spiritus et fidei significandam. Vide Hieronymum Mc 14¹⁶⁴ super id *Abba Pater* et interpretes in titulo Crucis.

14. *Tu es Simon Bar Iona*. Díjole el nombre y cuyo hijo era antes que

¹⁵⁴ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.14, n.6. Ed Vivès, 1876, t.19, p.746.

¹⁵⁵ FIRMIANUS LACTANTIUS, *Divinarum institutionum*, l.4, c.7. PL 6,465.

¹⁵⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 19 (18). PG 59,121.

¹⁵⁷ JOANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa*, l.3, c.3; l.4, c.8. PG 94,990; 1115.

¹⁵⁸ THOMAS AQ., *3p, q.16, a.5*. Ed Vivès 1872, t.5, p.46.

¹⁵⁹ HIERONYMUS, *Comment. Ad Galatas*, 4,6. PL 26,400.

¹⁶⁰ HIERONYMUS, *Ad Marcellinum, epist.* 126. PL 22,1085.

¹⁶¹ HIERONYMUS, *Ad Damasum, epist.* 20. PL 22,375.

¹⁶² AUGUSTINUS, 2 De doctrina christiana, c.11. PL 34,42.

¹⁶³ Joannes Reuchlin, † 1522.

¹⁶⁴ HIERONYMUS, *Expositio in Mc*, c.14. PL 30,656.

nadie se lo dijese ut ea ratione auctoritatem sibi conciliaret. Ita habet lectio Plantini sed habet ad marginem alias duas lectiones, nempe *filius Joanna* et *filius Johannis*. Verum c.21 e converso textus habet Simon Johannis, et ad marginem notatur ex ms G et S legendum esse Simon Iona. Cyranus suspicatur patrem Petri fuisse Simonem et convivet Jansenius¹⁶⁵, verum id est optatum potius quam inventum, nam utrobique legere possumus filius Iona vel utrobique filius Johanna vel Johannis si more nostro velimus declinare. Iona quidem significant columbam, et Johannam factam misericordiam, et primam etymologiam sequitur Hieronymus Mt 16 [17]¹⁶⁶ et probat ex ipso Mt qui Petrum appellat Bariona. (Cum Hieronymo videtur sentire Chrysostomus¹⁶⁷, Theophylactus¹⁶⁸ et Euthymius). Et idem sequitur Nebrisa in 3 Quinquag, c. 23. Sed fortasse quamvis pater Petri appellaretur Johanna detrahi potest syllaba in compositione et ipse appellari Barjona, ut ait Lyra Mt 16. Adde quod nomina propria non semper eodem modo profesuntur cum in alienam transferuntur linguam, atque ita non satis constat an Petrus appelletur filius columbae vel filius gratiae.

15. Sed dices cur magis Patrus quam Andreas appelletur Bariona? Respondeo 1º id posse simpliciter accipi ut ea fuerit communis Petro appellation et cognomen a patre desumptum sicut pleraque apud nos Juan Hernández etc. et in quibusdam obtinuit usus ut vix proferatur nomen sine cognomina in aliis vero non. Adde quod erat alius Apostolus qui etiam appellabatur Simon et propter distinctionis gratiam appellabatur Petrus Simon Barjona; et cognomen paternum plerumque etiam retinet filius maior natu. Respondeo 2º, fortasse id non vacare mysterio si prius nomen columbam denotabat perinde esset Barjona que hijo [f.36] de paloma, qua fortasse ratione designatur humilitas patriae et dignatio Dei qui humilem et abiectum e media plebe hominem elegit in Apostolorum principem; et si malis in columbae nomine Spiritum Sanctus intelligere, non erit etiam ab re altera etimologia.

16. **Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.** Mantuanus, l. 6 De sacris diebus, et Vigilius Papa¹⁶⁹ ad Eucherium sequuntur graecam etimologiam secundum quam Cephas est caput, et favet Lyra qui explicat Cephas id est capitaneus. Sed certum est Dominum hebraice vel caldaice loquentem ad eius linguae proprietatem respexisse ut notavit Evangelista. Vide

¹⁶⁵ JANSSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni 1580, p.140.

¹⁶⁶ HIERONYMUS, *Comment. In Ev. Mt*, 16,17. PL 26,121.

¹⁶⁷ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 19* (18). PG 59,121.

¹⁶⁸ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn*. 1,40-42. PG 123,1179.

¹⁶⁹ VIGILIUS PAPA, *epist. ad Eutherium*. PL 69,19

ler 4 [29] *super rupem ascenderunt*, et Num 20 [8] *petram* de qua educta est aqua appellat caldeus Cephaz. Vide Ps 39 [4] *statui super petram pedes meos*. Is 51 [1] *attendite ad petram*. Vide etiam Hieronimum Gal 2 [11ss]¹⁷⁰. Ergo nomen Petri non significant lapidem utcumque sed rupem unde lapides excinduntur et eam petram quae firma est et terrae adhaeret. Sed non sine numine factum est ut idem nomen graecis significaret caput, apud quos de Primatu Petri futurae erant controversiae; et eadem etiam vis latet in hebraica etimologia nam principem appellant hebraei lapidem angularem et fundamentalem cui nititur aedificium ut patet ex multis Sacrae Scripturae locis

17. Notat hic S. Thomas¹⁷¹, Lyra, Jansenius¹⁷² etc nomen Cephae impositum esse Simoni quando primum adductus est ad Dominum et explicatam fuisse nominis rationem postea, Mt 16 [18], de quo etiam vide Augustinum, 2 De consensu¹⁷³, c.13 et 53, et I.4, c.30. Sed obiiciet postea videri nomen inditum in electione ad apostolatam. Ut habetur I.c 6 *elegit duodecim ex illis et Apostolos nominavit: Simonem quem cognominavit Petrum* etc. Respondeo facilem esse huius nodi explicationem, et fortasse in hoc loco Joannis non tam est impositum nomen Petro quam praedictum quomodo esset postea appellandus, hactenus enim non solum nondum eligitur ad apostolatam sed neque hactenus inseparabiliter Christo adhaeret neque Petrus neque Andreas, de quo vide Augustinum¹⁷⁴ 2 De consensu c.13, et Chrysostomum¹⁷⁵, Theophylactum¹⁷⁶ et Euthymium, Mt 4¹⁷⁷.

Lectio 14

1. *In crastinum voluit exire in Galilaeam*. Nempe die continuo sequenti, ut patet ex graeco, et videtur referri hoc ad diem qua Petrus adductus est ab Andrea sed non constat an *eodem die* Dominum agnoverint Andreas et Petrus nam Andreas dicitur mansisse apud Dominum die illo et postea invenisse Petrum et induxisse eum ad Iesum (Epiphanius, haeresi 51¹⁷⁸, ait eodem die utrumque contigisse), atque ita videntur isti dies qui a Joanne designantur esse

¹⁷⁰ HIERONYMUS, *Comment. Ad Galatas*, 2,11. PL 26,366.

¹⁷¹ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.1, l.1, n.8. Ed., Vivès 1876, p.747.

¹⁷² JANSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni 1580, p.140.

¹⁷³ AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, l.2, c.13,53. PL 34, 1092,1132.

¹⁷⁴ AUGUSTINUS, *De consensu Evangelistarum*, c.17, PL 34,1095.

¹⁷⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 19* (18). PG 59,121.

¹⁷⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,40-42. PG 123,1182.

¹⁷⁷ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Mt* 4,18. PG 129,186.

¹⁷⁸ EPIPHANIUS, *Adversus octoginta haereses*, l.2, haer.51. PG 41, 919.

septem aut plures: nempe 1^{us}, quando Joannes respondit iudaeis; 2^{us}, quo vidit Iesum venientem ad se; 3^{us}, quo vocatus est Andreas; 4^{us}, quo adductus est Petrus ad Iesum; 5^{us}, quo Dominus est agnitus a Philippo. Et 7^{us} [sic] quo factae sunt nuptiae in Cana. (Nota quam est vicina Betania vel Bethabara Galilae.)

2. *Betsaida* significat domus venationis, et bene habet quia ex illa venatus est Dominus tres ad minimum Apostolos, et meminit huius oppiduli Joannes ut significet quod ait Paulus *infirmi mundi elegit Deus*.

3. *Nathanael*. Montanus hic et Mt 10 et Lc 6 (ubi numerantur Apostoli) asserit hunc Nathanael esse Bartolomaeum Apostolum. Probat 1^o quia Bartholomaeus non est nomen proprium sed cognomen de nomine patris, quasi filius Tolomaei, sicut Simon Bariona. Probat 2^o quia semper in catalogo Apostolorum ponitur cum Philippo, sicut Andraeas cum Petro: ergo simul vocati sunt. 3^o quia Joannis ultimo [Jn 21,2] videtur inter Apostolos numerari. (Act.1 [13] in catalogo ponitur post Philippum et Thoma.) Haec opinio non displicet Ruperto neque Jansenio¹⁷⁹.

Nihilominus tamen videtur falsa, 1^o: quia nec veteres nec recentiores qui vitas Apostolorum scripserunt tale quidpiam dixerunt, neque Abdias neque Isidorus neque Hieronymus neque Perionius neque ulla historia ecclesiastica neque veteres Evangeliorum expositores. (Praeterea Mathaeus et Thomas solent in catalogo sociari, qui non simul vocati sunt. [f.36v] 2^o, quia constat Apostolos fuisse homines indoctos, hunc autem Nathanaelem Chrysostomus¹⁸⁰, Cyrillus¹⁸¹, Augustinus, Euthymius¹⁸² et omnes, doctorem et in lege versatum esse dicunt, ut eius verba indicant; ergo non erat ex illis. Haec ratio est Glossae¹⁸³ hic, et Augustinus¹⁸⁴ tract.7. Vide Abulensem¹⁸⁵ Mt 10, q.35. Praeterea Perionius in vita Bartholomaei ait nihil de illo dictum fuisse in Sacra Scriptura et fuisse pauperem et idiotam, et ad hoc citat Eusebium. Vide etiam Simeonem Metaphrastem in vita Bartolomaei. Ad 1^{um}, ergo respondeo multa huiusmodi nomina loco priorum usurpari, ut Mc 10,46 *filius Timaei Bartimaeus sedebat*. Ad 2^{um}, Respondeo, 1^o, cum Dominus ex turba discipulorum elegit 12, tunc post Philippum vocavit Bartolomaeum, et ideo simul numeratur, sed alia est vocatio de qua in praesenti. Respondeo 2^o, non semper servari in catalogo

¹⁷⁹ JANSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni, p.142.

¹⁸⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS. *In Jn homil. 20* (19). PG 59,125.

¹⁸¹ CYRILLUS ALEXANDRINUS. *In Joannis Ev.*, l.1, 1.45. PG 73,219.

¹⁸² EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Jn* 1,48. PG 129,1143.

¹⁸³ *Glossa ordinaria*, Jn 1,45. PL 114,362.

¹⁸⁴ AUGUSTINUS, *In Jn Evangel.* Tract.7. PL 35,1445s.

¹⁸⁵ ALPHIENSUS TOSTATUS, *In Ev. Mt c.10, q.35, f.141*.

ordinem vocationis, quia Petrus ponitur ante Andraeam cum fuerit posterius vocatus; deinde Mt 10, ultimo, par est Simon Cananaeus et Iudas proditor, Lucae autem 6, ultimum par est Iudas Jacobi et Iudas proditor. Ad 3^{um}, inter alios discipulos ibi fuisse Nathanaelem quia non erant soli Apostoli.

4. *A Nazaret potest aliquid boni esse?* Augustinus¹⁸⁶ ait posse legi sine interrogatione sed interrogative legendum esse constat inter omnes.

Ecce vere israelita, non enim omnes qui ex Israel ii sunt israelitae, ad Rom 9 [6].

Cum esses sub ficu vidi te. Quem Nathanael quaesierat quasi ab homine unde me nosti, ostendit se ut Deum omnium mores et occulta cognoscere, et ait cum esses solus sub ficu, cum nemo te videbat, ego te vidi et quidem antequam Philippus ad te accederet qui mihi posset renuntiare. Verisimile autem est Nathanael sub ficu orasse.

5. **Tu es Filius Dei, Tu es Rex Israel.** Nomine Regis intelligit Messiam, ut patet supra lectione 13, n.11, atque ita *rex* ponitur hic cum articulo. Sed dubitatur an Nathanael hic cognoverit Christum esse Filium Dei naturalem. Ratio dubitandi est quia ponitur hic *filius* cum articulo, et ita intelligit Cyrillus¹⁸⁷, Augustinus tract.7¹⁸⁸, Beda¹⁸⁹, et alii. Jansenius¹⁹⁰, c.17, rem sub dubio relinquit.

Sed multo certius est non cognovisse. Ita Chrysostomus homil.20¹⁹¹, et Super Mt homil.55¹⁹², Theophylactus¹⁹³, Euthymius¹⁹⁴, Lyra. Quaerunt enim cur Petrus qui eadem verba dixit Mt 16 laudatus sit a Domino, et Nathanael non sit ita laudatus, cum eius confessio praecedat signa; et respondent sublimiorem esse Petri confessionem qui eum verum et naturalem Filium Dei confessus est. Unde Clemens Romanus, epistula ad Iacobum fratrem Domini docet Petrum esse primum omnium Apostolorum cui Pater Filium suum revelavit, non est autem credibile prius hoc fuisse revelatum Nathanaeli quam omnibus Apostolis. Et confirmatur quia subdit Dominus *maius his videbis*, quasi diceret maiora tunc de me credes. Ad articulum vero respondeo satis esse ut denotet

¹⁸⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Evang tract.7.* PL 35,1445.

¹⁸⁷ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 1,49. PG 73,223.

¹⁸⁸ AUGUSTINUS, *In Jn Ev., tract.7.* PL 35,1147.

¹⁸⁹ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.1. PL92,655.

¹⁹⁰ JANSSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni 1580, p.141.

¹⁹¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.21 (20).* PG 59,128.

¹⁹² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt homil. 54 (55).* PG 58,533.

¹⁹³ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,49-51. PG 123,1186.

¹⁹⁴ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment.in Jn* 1.50. PG 129,1146.

excellentiam inter filios adoptivos qualem haberet Messias inter prophetas quamvis esset purus homo. Neque obstat quod Nathanael dicatur credidisse, quia ad hoc satis est quod crediderit esse Messiam.

6. **Amen amen dico vobis.** Duplex est huius adverbii hebraici usus: alter quo quis consentit et optat ut ita fiat, ut patet Deut 27 et 3Rg 1 [36] *respondit Banaías dicens: Amen sic loquatur Dominus Deus*, et 1Cor 14 *si benedixeris spiritu qui suplet locum idiotae quomodo dicet super tuam benedictionem Amen* etc. In hoc sensu aliquando explicatur per vocem latinam *fiat*, ut Ps 105 [48]. Alter sensus est quo magis asseverantur quae dicuntur, et sic saepe transtulcrum Aquila, Symachus et Theodotion per adverbium *vere* aut *fideliter*. Atque ita quod Lc 21 dicitur *vere dico vobis quod vidua haec pauper plus omnibus* etc, Mc 12 [43] dicitur *Amen dico vobis quia vidua haec pauper plus omnibus misit*.

7. **Videbitis coelum apertum** etc. Jansenius¹⁹⁵ c.17 fine, putat respexisse Dominum ad simile locum Gn 28 [12] et adducit aptissimam congruentiam, sed optarem intelligere quomodo respondeat figura veritati: non enim vidit Iacob angelos supra Dominum ascendere, fortasse ibi scala gerit Christi typum et super Christum ascendere est intelligendum tanquam super scalam id est per scalam, sicut enim nobis est *via veritas et vita*, ita etiam angelis est scala [f.37] per quam ascendunt ad altissimorum mysteriorum cognitionem et per quam descendunt ad eorum profunditatem propius contemplandam, vel ad maiorem cum hominibus communicationem, nam haec scala sociat ima summis. Quod vero hic dicitur *videbitis coelum apertum* correspondet ei quod Gn 28 habetur *non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli*, ergo cum fide Nathanaelis delectatus esset Dominus et eum dixisset esse verum israelitam venit in mentem eius visionem quam vidit Israel et ait ad Nathanaelem: miraris me occulta cognovisse et propterea Filium Dei praedicas atque Messiam: utrumque aut multo evidentius o vere israelita cognosces quando per me videas patefactum aditum ad coelum et per me veluti per scalam eo ascendi posse ab hominibus quo nondum ascenderant angeli, atque adeo angelos per me doceri et honorari et eos nihilominus descendere ut ad huius gloriae consortium deferant secum homines ut et illi per me ascendant et inter angelos collocentur imitatores angelorum effecti.

8. Nota hic solere ab interpretibus quaeri quo tempore fuerit impletum *videbitis coelum apertum* etc. Et Chrysostomus¹⁹⁶ quidem, Theophylactus¹⁹⁷ et

¹⁹⁵ JANSSENS, *Concordia*, c.17. Lugduni 1580, p.142.

¹⁹⁶ JOANNES CHRYSOSTOMUS, In Jn homil. 21 (20). PG 59,129.

¹⁹⁷ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 1,49-51. PG 123,1186.

Euthymius¹⁹⁸, S. Thomas¹⁹⁹ et Lyra dicunt impletum fuisse tempore Passionis et Resurrectionis et Ascensionis. Sed Caietanus atque Jansenius²⁰⁰ favente Glossa²⁰¹ aiunt hanc fuisse aliam peculiarem revelationem postea factam Apostolis et Nathanaeli, sed eam fuisse ab Evangelistis praetermissam. Titelmanus peculiariter intelligit de tempore Ascensionis quo Coeli Domino patuerunt et angeli eum comitantes crebro ascendebant et descendebant. Sunt etiam qui hoc referant ad diem iudicii quando *mittet angelos suos cum tuba* etc. Mt 24. Sed in his expositionibus plane non acquiescit animus quia neque video quomodo haec respondeant loco Genesis ad quem proculdubio respexit Dominus neque video quomodo satis cohaereant cum verbis Christi *ascendentes et descendentes supra Filium Hominis*, neque cur in his sensibus praecedat ascensio descensionem neque quam vim habeat illud *supra*. Proinde magis crediderim haec verba intelligenda esse figurate, ut supra de nostrae redemptionis effectibus quos Nathanael et Apostoli postea viderunt non solum in hac vita sed etiam in praesenti, Et haec explicatio convenit optime cum Christi instituto qui docere volebat multo maiora argumenta suae dignitatis ostensurum se fore brevi et ea sunt evidentissima quae diximus. Et favent Augustinus, Cyrillus²⁰² et Rupertus²⁰³ qui ad mysticum sensum videntur confugere

9. Porro cur se appellet Christus *Filius Hominis* vide Jansenium c. 17²⁰⁴ fine. Et nota Euthymium Mt 8²⁰⁵ explicare quasi diceret filius Virginis; sed id satis reiicitur ex articulo graeco masculino et ex eo quod haec phrasis saepe repetitur in Ezechiele et Ps 8 [5], et evidenter idem est filius hominis quod homo, maxime cum in hebraico ponatur filius Adam. Vide Damascenum²⁰⁶ l. 3, c. 3: gaudet autem Christum se hominem appellare ut amorem suum erga nos ostendat velut imperator qui milites appellat commilitones.

Sunt etiam qui velint non vacare mysterio quod se appellet Christus Filius Hominis semper scilicet cum articulo, nempe *el Hijo de el Hombre*, ut se designet non quemlibet filium Adae sed illum filium promissum ad reparationem generis humani ut esset nobis *secundus Adam*, ut habetur 1 Cor 15

¹⁹⁸ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Jn* 1, 52. PG 129, 1146.

¹⁹⁹ THOMAS AQ., c. 1, l. 15, n. 4. Ed. Vivès 1876, p. 753.

²⁰⁰ JANSSENS, *Concordia*, c. 17. Lugduni 1580, p. 142.

²⁰¹ *Glossa ordinaria*, Jn 1, 51. PL 114, 363.

²⁰² CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l. 1, 1, 51. PG 73, 223.

²⁰³ RUPERTUS TUTIENSIS, *Comment. in Jn*, l. 2. PL 169, 274.

²⁰⁴ JANSSENS, *Concordia*, c. 17. Lugduni 1580, p. 142.

²⁰⁵ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Jn* 1, 52. PG 129, 1146.

²⁰⁶ IOANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa*, l. 3, c. 3. PG 94, 995.

[45], et probant quia alioqui non solet habere articulum in eiusmodi phrasi illud nomen filius. Ut Ps 8 et apud Ezechielem. Quod si obiicias Apoc 1 [13], de Christo esse sermonem cum dicitur *similem Filio Hominis*, et Jn 5 [27], *dedit ei iudicium favere quia Filius Hominis est*. Respondent in iis locis tribui Christo nomen hominis sicut in hac propositione Christus est Homo, ubi nomen hominis debet manere indeterminatum quia non designat Christum, ubicumque vero illud solum designat numquam caret articulo, neque obstat Ps 8 quia potest etiam aliter intelligi. Acute quidem haec, sed nescio quam solide quia sine ulla energia adfici solet articulus cum aliquis designando se dicit el hombre, la persona etc.

[f.38]

C.2, Lectio 1

Die 3^a nuptiae factae sunt in Cana Galileae

1. Narratur hoc capite miraculum aquae mutatae in vinum et eiectio vendentium ex Templo, propter quam nata fuit altercatio inter iudacos et Christum. Sed dubitatur -1^o, respectu cuius temporis dies illa nuptiarum appelletur *tertia*. Euthymius²⁰⁷ putat denominari ab eo die quo Christus ex deserto regressus est in Galilaeam. Epiphanius, haeresi 51²⁰⁸, Rupertus²⁰⁹, D. Thomas²¹⁰, Jansenius²¹¹, aiunt denominari tertiam diem ab eo die quo Andreas et alii discipuli sequuti sunt Christum. Caietanus, ab ea die qua Nathanael venit ad Christum. Origenes ab eo die quo Dominus egressus in Galilaeam vocavit ad se Philippum. Verisimile enim est eodem die fuisse vocatos Philippum et Natanaelem, et omnino apparet Joannem nominare tertiam diem ab eo tempore quod proxime ante nominaverat.

2. Dubitatur -2^o an nuptiae istae factae sint integro anno post Christi Baptismum. Vide supra, lectio 9, n.3, et nota quosdam dubitare an Irenaeus loquatur ex propria sententia, sed immerito. Nota etiam non solum dubitare D. Maximum ut vidimus, sed etiam Emisenum, homil. de Epiphania; Isidorus in libro de ecclesiasticis officiis ubi agit de Epiphania; Augustinus serm. 128.

Quamvis pro contraria sententia citari soleant Ambrosius²¹² ser. 18, 19, 20 et 21, et Augustinus serm. 1 et 2 Epiphaniae. Sed plane non asserunt sed aiunt

²⁰⁷ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn* 2,1. PG 129,1147.

²⁰⁸ EPIPHANIUS, *Adversus 80 haereses*, Haer.51. PG 41,919.

²⁰⁹ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment. in Jn*, l.2. PL 169,277.

²¹⁰ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.2, l.1, n.1. Ed. Vivès 1876, p.754.

²¹¹ JANSENS, *Concordia*, c.18. Lugduni 1580, p.142.

²¹² AMBROSIUS, *sermones X, XI*. PL 17,644,646

quod nonnulli dicant. Asserit tamen Caietanus 3p, q.43, a.3 et facit pro ea optime illorum sententia qui aiunt Christum impleto anno 30 fuisse baptizatum, quod videntur dicere Theophilactus, Lc 3, S. Thomas 3p, q.39, a.3²¹³; Chrysostomus homil.10 in Mt²¹⁴, et Bernardus serm. 1 Epiphaniae. Sed contra est Abulensis Mt 3²¹⁵ ubi tunc venit Iesus a Galilaea.

Cur Ecclesia eodem die celebret illas tres festiuitates quamvis non omnes eo die contigerint ratio est aptissima quia omnes illae habent quamdam singularem Epiphaniae rationem, id est publicae manifestationis, nam 1^o, Christus manifestatus est gentibus; 2^o, voce Patris in Baptismo; 3^o, miraculorum patratiōe, etc. Ad antiphonam Ecclesiae Respondeo credi non posse Ecclesiam id usurpasse pro certo et indubitato quod Sancti Patres tractant pro dubio et incerto. Adde quod, ut bene notat Jansenius et alii, ex narratione Joannis satis videtur colligi miraculum hoc factum esse illo tempore quod intercessit inter baptismum Christi et proximum pascha iudaeorum. Sed utcumque id sit ego nulla ratione negaverim hoc miraculum contigisse vel ipso die Epiphaniae vel circa, quia Epiphanius haeres.51²¹⁶ asserit quod eodem die et hora qua Christus dixit *hautite nunc et ferte architriclinio*, suo tempore in quibusdam fontibus aqua conuertebatur in vinum, et se ex uno illorum bibisse, et assignat 5^{am} diem ianuarii, et quamvis fallatur in eo quod eodem die asserat Christum natum, sed dubitari non debet de eius auctoritate in eo quod ipse vidit et narrat.

3. Dubitatur an nuptiae fuerint Joannis Evangelistae ut habet ferme communis opinio, ea enim sequitur Beda, D. Thomas et Caietanus hic; Hilarius in qq. Super Evang. q. 17; et confirmat auctoritas Alberti Magni. Rupertus²¹⁷ ait esse communem opinionem Doctorum. Lyra ait esse adeo certa ut ex hoc loco Doctores argumentari soleant matrimonium ratum et non consummatum posse dirimi per ingressum alterius coniugis in religionem. In confirmatione eiusdem citant Augustinum²¹⁸ et Hieronymum qui in praefatione in Evangelium Joannis hoc ipsum confirmant. Verumtamen illae citations non sunt Hieronymi neque Augustini, nam illa quae tribuitur Augustino est Bedae, et Augustinus²¹⁹ abhorruit ab hac sententia quandoquidem in ultimo tractatu in Joannem [f.38v] ait multis Ecclesiae Doctoribus placuisse st sibi placere Joannem numquam duxisse uxorem sed perfectam virginitatem coluisse.

²¹³ THOMAS AQ., 3p, q.39, a.3. Ed. Vivès, 1872, t.5, p.178.

²¹⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt homil. 10*. PG 57,183.

²¹⁵ ALPHONSUS TOSTATUS, *In Ev. Sti. Mt...expositio*. C.4, q.83. f.177.

²¹⁶ EPIPHANIUS, *Adversus 80 Haereses*, h.51. PG 41,919.

²¹⁷ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Jn*, l.2. PL 169,284.

²¹⁸ *Praefatio incerti auctoris*. PL 35,1380.

²¹⁹ AUGUSTINUS, *In Jn Evangel tract. 124*, c.21. PL 35,1976.

(Claudio dice que no se atreve él a decir que se casó; Jansenio no lo mienta.) Praefatio vero quae affligitur Hieronymo nulla ratione redolet eius dictionem vel ingenium ut fatentur viri eruditi. Quinimo Hieronymus²²⁰, 1^o Contra Jovinianum c. 14, docet Joannem cum est vocatus a Christo fuisse *adolefcentem ac pene puerum*, qua aetate non est credibile uxorem duxisse. Dico igitur eam sententiam nulla ratione colligi vel ex Sacra Scriptura vel ex Patrum traditione quia nullus Patrum ante Bedam id sensisse memoratur, atque adeo videri falsum. Et confirmatur, 1^o, quia si Joannes dissoluto matrimonio tunc fuisset sequutus Christum, ergo haec vocatio Joannis fuisset ultima postquam non rediit ad sua; sed hoc est falsum, ergo etc. Probatur minor quia ultimam vocationem Joannis fuisse uno anno post has nuptias patet Mt 4 [21] ubi describit vocationem Joannis ultimam factam postquam Baptista erat in carcerem detrusus, hae autem nuptiae factae sunt multo ante carcerem Joannis, Joanne adhuc baptizante. 2^o, Patres docent Joannem perfectam observasse virginitatem, cum quo non cohaeret quod uxorem duxerit, quia sequeretur animo saltem violasse virginitatem. 3^o, Chrysostomus, Cyrillus²²¹, Augustinus²²² et fore omnes Patres reddentes causas propter quas Christus voluit interesse his nuptiis hanc praecipue reddunt ut sua praesentia honoraret et confirmaret nuptias, et ostenderet eas esse bonas et ratas a Deo, et contra Marcionem, Tatianum et Manichaeos damnantes nuptias afferunt hoc argumentum, quod Christus sua praesentia eas confirmaverit; ergo nulla ratione dicendum est Christum has nuptias dissolvisse.

4. Dubitatur 4^o, quae sit ista Cana Galileae. Respondeo Hieronymum, De locis haebraicis²²³, intelligere Cana quae est prope Sidonem in tribu Asser (otros dicen que in tribu Ephraim), et hanc multi intelligunt appellari a Hieronymo Cana maiorem ad distinctionem alterius minoris; mihi potius videtur Hieronymum duplicem distinguere Sidonem dum ait Cana usque ad Sidonem maiorem, verum aiunt Brocardum et Andraeam Massiam a Hieronymo dissentire et omnino existimare factas esse has nuptias in altera Cana Galileae inferioris in tribu Zabulon, et eam distare a Nazaret 15 miliaribus, et in ea adhuc cerni triclinium in quo factae fuerunt nuptiae et locum ubi fuerunt hydriae, olim subterraneum in quem Christiani nunc per gradus ascendunt.

5. *Et erat Mater Iesu ibi.* Aiunt non mirum esse quod Beata Virgo vocata sit ad nuptias, quia Nazaret non distabat a Cana Galileae nisi 15

²²⁰ HIERONYMUS, *Adversus Jovinianum*. l.I, n.26. PL 23,259.

²²¹ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.I, 2,1. PG 73,223.

²²² AUGUSTINUS, *In Jn Evang tract 9*. PL 35,1458.

²²³ HIERONYMUS, *De situ et nominibus locorum hebraicorum*. PL 23,932s.

miliaribus ut ait Brocardus et Aranda in descriptionibus Terrae Sanctae. Quod si harm nuptiarum causa Virgo 15 miliaria peregit, magna proculdubio erat inter sponsos et Virginem coniunctio et adhuc valde perpendenda est humanitas Beatissimae Virginis quae ut eis faveret et quae opus essent provideret non dedignata est iter suscipere et manet etiam huic meditationi locus quamvis dicamus fortasse Virginem non venisse nunc ex Nazreth sed ex Bethabara aut Bethania cum Filio, et eos transisse per oppidum Cana et ibi fuisse invitatos, vel quod Nuptiae ad Nathanaelem attineret vel ad aliquem ex discipulis. Vel fortasse iis diebus Beata Virgo habitabat in Cana et ibi exspectabat Filium cuius providentia factum est ut in ea domo in qua Virgo diversabatur celebrarentur nuptiae statim ac ipse eo pervenit, atque ita invitatus est etiam ipse cum discipulis suis.

[f.39]

6. Queritur quomodo sit vocata Mater Iesu, et non fiat mentio de Iosepho, quem Chrysostomus homil.47 in Mt, et Ambrosius²²⁴ Lc 23, non obscure significant vixisse usque ad tempus passionis Christi; et confirmatur quia si multis retro annis obiisset ut sentit Epiphanius haeresi 51, non veniret in mentem Philippo Iosephus neque diceret Nathanaeli invenimus Iesum filium Ioseph. Nihilominus dico rationem Epiphanii videri efficacem atque adeo propterea nullam fieri de Iosepho mentionem quia iam obierat, non ex nimia senectute ut Epiphanius²²⁵ significat, qui vult ut octogenarius Beatam Virginem duxerit, sed ex ordinatione Dei. Illud enim (quod pace pictorum dixerim) non est credibile, quia neque decet hominem ea aetate nubere neque parentes Virgibus dilectam filiam ferme decrepito tradere, neque satis Deus consulisset suae Matris famae, neque Virginis necessitatibus providisset. Ad illud de Philippo, Respondeo id indicare quam fuerit nota sanctitas Iosephi quem quidem tot annos post mortem eius pro Christi elogio dicebatur quod esset filius Ioseph.

7. *Deficiente vino.* Graece in aoristo *cum defecisset vinum.* Sde bene noster interpres, quia non est sensus omnino defecisse sed incepisse deficere, ut intelligunt non solum D. Thomas²²⁶, Lyra et Jansenius²²⁷, sed etiam Chrysostomus homil 20, et Augustinus serm. 11 De tempore

8. *Quid mihi et tibi est Mulier?* Hinc stulte quidam haeretici probarunt Christum non accepisse carnem ex Virgine; alii, saltem Virginem non esse Matrem Dei; Elvidius, non permansisse virginem, sed de his alias. Neque enim

²²⁴ AMBROSIUS, *Expositio in Lc.*, l.10, n.130. PL 15,1930.

²²⁵ EPIPHANIUS, *Adversus 80 haereses*, h.51. PG 41,907; h.78. PG 42,710.

²²⁶ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.2, l.1, n.3. Ed. Vivès 1876, p.756.

²²⁷ CORNELIUS JANSENS, *Comment. In Concordiam*, c.18. Lugduni 1580, p.143.

nobis facessunt in praesenti. Magis dolendum est quam excesserint Chrysostomus²²⁸, Theophylactus et Euthymius²²⁹ dicentes Beatam Virginem fuisse a Domino reprehensam et obiurgatam, sed is error videtur aliquantulum facessere eo quod caeterae expositiones non satisfaciunt. Nam quod ait Caietanus quid mihi et tibi est, id est *quid nosira interest qui non sumus invitantes sed invitati* iam id fuerat etiam significatum a Chrysostomo, Theophylacto²³⁰ et Euthymio, et a Cyrillo et Epiphanio qui legit *quid mihi et tibi curae est*, sed plane non cohaeret, non solum propter verba sequentia sed etiam quia constat eam phrasim in Sacra Scriptura idem prorsus significare ac si diceret quid mihi rei tecum est? Ut bene probant Jansenius²³¹ atque Montanus ex graeco et hebraeo. Vide Joel 3 [4] *quid mihi et vobis Tyrus et Sidon*. Mt 27 *nihil tibi et iusto illi* et Mt 5,8 *quid nobis et tibi Iesu Fili Dei*. Certum ergo est verba Domini omnino accipiendas esse ac si diceret quid mihi tecum est o Mulier, et in hoc fere omnes conveniunt.

9. Sed in explicatione, licet omnes noverimus nihil Virginem dixisse quod non fuerit gratissimum Filio, non tamen omnes eodem modo se expediunt ab hac difficultate: quidam adhuc sibi persuadent accipienda esse haec verba tanquam dure et aspere prolata et sic oportuisse aiunt ne Christus videretur aliquid tribuere carnalis cognationis affectui, et quidem non mirum est quod aliquando expediat asperius agere cum eo quem maxime diligo et in quo nihil iure possum reprehendere, praesertim quando certus sum eum non aegre laturum aspera amantis verba. Et facit illud *quem enim diligit Dominus corripit* Eccli [Prov 3,12]. Quod autem ita se gesserit Christus, Probant 1^o ex ipsis verbis in quibus quodammodo videtur ei negare Matris nomen, et 2^o probant quia quinque legitur Christus loquutus cum Matre vel de Matre et semper eius verba sonant eiusmodi: nescio quid asperum et rigidum, nempe hic, Lc 2 *quid est quod me querebatis*, et Mt 12 *quae est Mater mea*, et Lc 11 *quinimo beati* et Jn 19 [f.39v] *Mulier ecce filius tuus*. Et addunt viri spirituales eiusmodi exemplum et documentum maxime necessarium fuisse Ecclesiae et praesertim religiosis quibus omnis affectus erga consanguineos interdicitur. Ergo cum Christus ait *quid mihi et tibi mulier* exponunt quasi diceret: ad ea peragenda quae pertinent ad gloriam Dei et utilitatem hominum, ut est effectio miraculorum non decet me moveri humano affectu aut respectu carnalis cognationis sed sola observatione divinae voluntatis et gloriae, vel quasi diceret non est tuum oh Mater praescribere aut locum aut tempus aut modum faciendi miracula: haec

²²⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 22 (21). PG 59,134.

²²⁹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Jn 2,4*. PG 129,1147.

²³⁰ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn. 2,4*. PG 123,1190.

²³¹ CORNELIUS JANSENS, *Comment. In Concordium*, c.18. Lugduni 1580, p.143.

enim omnia iam mihi praefinita sunt a Patre meo nec debeo aliter quam ipse decrevit facere.

10. **Dico 1^o:** id genus asperitatis quo quasi ex composito propter circumstantias duriuscule aliquid monent qui amant inter se non solum non derogare amicitiae sed etiam eam commendare ut satis per se patet, atque adeo in praesenti qui vellent eam expositionem sequi oportet ut dicat non ideo Virginem admoneri a Christo quia ipsa ea indigeret admonitione vel quia aliter illa existimaret, sed quia propter circumstantes ita expediret, et Mater et Filius se invicem satis intelligerent. **Dico 2^o,** nihilominus non videri mihi verisimile Christum hic aspere loquutum quia neque id nostro documento neque circumstatium exemplo neque convivii laetitiae conveniebat. Et quod dicitur de negando cognationis affectu, nisi fallor, non debet intelligi, erga eos in quibus summa sanctitas elucet, atque adeo potius debebat Christus esse officiosissimus in Matrem, neque solum omni pietatis officio sed etiam omni reverenti et amoris significatione eam colere et recreare. Et cum ita proculdubio se gereret erga eam domi, non est credibile aliter se foris gessisse et praesertim in convivio ubi maior humanitatis et benevolentiae signa postulat ratio. Adde quod circumstantibus potius esset offensioni quam exemplo videre in eo die sine ulla occasione signa asperitatis in Filio erga Matrem, praesertim cum eius sanctitatem omnes adamarent. Adde quod cum iis quae subsequuntur non ita cohaeret asperitas loquutionis nam Christus omnino volebat id miraculum facere, et fere omnes interpretes conveniunt cum Cyrillo²³² non solum id fecisse rogatu Matris sed etiam ut ostenderet quantus honor parentibus debeatur, celerius fecisse propter illam quod alioquin parumper distulisset; et hanc Filii voluntatem bene intellexit Mater quandoquidem illico praecepit ministris ut facerent quicquid ille iuberet, quae non dixisset nisi intellexisset Filium annuisse suis precibus.

11. **Dico 3^o,** falsum esse caetera verba Christi erga Matrem esse asperiora quia illa verba Jn 19 [26] *Mulier, ecce filius tuus*, proculdubio ad aliquam consolationem referuntur, et saltem nulla ratione sunt asperius interpretanda, quia indecentissimum esset ut afflictissimam Matrem vellet Christum amplius suis verbis affligere. Unde etiam patet nomen *mulieris* erga Matrem, quod nostris auribus est insolens, non sic sonasse in illa lingua et regione, neque enim ubique idem servatur mos sed quidam cum appellat suos parentes aiunt pater vel mater, alii vero domine vel domina, frotase ergo in illa regione filii loquentes cum alii vero domine vel domina, fortasse ergo in illa regione filii loquentes cum matribus appellabant eas mulieres. (Lyra dicit quae Jn 19 por no

²³² CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, I.1, 2.4, PG 73,226.

affligirla no la llamó Madre. Otros que la solía llamar Mujer, anthonomastice et cum articulo, etc.) Et facit quod in hebraeo nomen mulieris sonat idem quod apud nos virago, atque adeo verisimile sit usurpari potuisse honoris causa. Deinde illa verba Lc 2 [49] *quid est quod me quaerebatis* etc si contempleris dicta esse a Christo vultu placido et subridenti, videbuntur potius aures demulcere et dolorem Virginis mitigare. Atque ita aptissime sequitur Christum statim cum eis abiisse et subditum eis fuisse. Caetera vero, nempe *quae est Mater mea?* et *quinimo beati*, non sunt ad Virginem dicta sed ad eos qui Christum docentem interrumpere videbantur neque tamen propterea se minus officiosum erga Matrem ostendit, quia si mihi celebranti afferatur nuncium de adventu nostri patris Provincialis et nuncianti respondeam ut [f.40] me relinquat et nihil de provinciali dicat, non propterea videbor asper in praelatum sed rei seriae incumbere et quae totum hominem postulet; cuiusmodi ergo erat apud Christum officium praedicandi.

12. **Dico 4^o**, communiorem explicationem in praesenti valde abhorrere ab asperitate in his verbis, adeo ut maluerint sensum quendam fortasse minus litteralem ut se Matrem agnoscat quousque suspendar in Cruce, nam miracula quidem ad Divinitatem spectant et passio ad Humanitatem quam ex te habeo. Itaque tempus passionis appellat *Horam suam* iuxta illud Jn 7 [30] *nemo misit in eum munus quia nondum venerat Hora eius*, et in ea Hora agnoscens Matrem dixit *Mulier, ecce filius tuus*. Ita Augustinus²³³ tract.8 et 119 in Jn, et saepe alibi, Beda²³⁴ etiam et S. Thomas hic et c.19. Sed contra est quod ibi nomen filii non designat Christum sed Joannem et si in eo dicas Christum se agnoscere filium quod loco sui substituit Joannem in filium, in praesenti etiam se agnoscit Filium in eo quod annuit precibus Matris, praeter quam quod non decet ut agnitionem parentum reservemus in horam mortis, et interim asperius cum eis agere decernamus. Atque ita non satis intelligo hanc explicationem.

13. **Dico 5^o**. Non deesse qui velint ut Christus grato et hilari vultu dixerit *quid mihi et tibi*, etc sed explicant quasi diceret faciam quod iubes, sed tempus commodius exspecto. Et facit quod D. Thomas²³⁵ hic ea ratione videtur temperare Chrysostomi excessum. Hanc tamen explicationem ego nescio aptare contextui quia non video quomodo illa interrogatio *quid mihi et tibi* nihil aliud contineat nisi obsecrationem ut tantisper exspectet. Praeter quam quod nisi fallor indecorum est praesupponere Virginem cilius postulasse quam res ipsa postulabat, quamvis D.Thomas id absque ulla culpa interpretetur; sed praestat ut

²³³ AUGUSTINUS, *In Jn Evang* tract 9. PL 35,1456. Tract.119, PL 35,1950.

²³⁴ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.7. PL. 92,750s.

²³⁵ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.2, l.1,n.4. Ed. Vivès 1876. p.758.

Virgo ipsissimo tempore quo Christus vellet, innuerit Filio, et non dubitabit de hoc cui Dominus dederit dignam de Virginis perfectione opinionem. Quomodo ergo interpretabimus verba Christi *quid mihi et tibi* etc, dicam sub correctione matris Ecclesiae.

14. Si comitas et urbanitas est virtus quae nullam praesupponit imperfectionem neque ullo modo detrahit laudabili gravitati, optandum esset profecto ut eius exemplum haberemus in eo qui nobis est forma virtutum; praeterea hilaritas postulat in convivio ab omnibus qui de officiis scripsere; et decentissimum est ut se Christus exhibuerit suae venerandae Matris amatorem. Cur ergo non explicabimus haec verba ea fere ratione qua in conviviiis nonnulla dicuntur ab iis qui amant inter se in quibus non tam ad formam loquutionis quam ad vultum et mentem respicitur, et licentia quam sibi assumit urbanitas una cum grato lepore ostendit dilectionis mutuae veritatem et simplicitatem. Ergo quod Christus ait *quid mihi et tibi est Mulier*, ego prorsus intelligo quasi summa cum voluptate dixerit ¿qué nos habemos, Señora, ya que me hablais al oído? Porro, quod sequitur *nondum venit hora mea*, optime Jansenius²³⁶. Sed pro congruentia supradictae explicationis nota Christum fortasse eo primum die vidisse Virginem postquam abiit ad Baptismum, et eam invenisse in Cana atque ita decebat ut eam iucunde et suaviter affaretur.

[f.40v]

15. Cur hydrias jusserit potius impleri quam alia vasa et quae sit haec purificatio de qua meminit Evangelista, bene Jansenius²³⁷. Sed in revocanda harum hydriarum iusta mensura ad nostras, in eo nostri laborant. Ego puto Evangelistam de iusta mensura non fuisse admodum sollicitum quandoquidem dixit *capientes binas vel ternas metretas*, id est quod hispane dicitur entre dos y tres, nam explicatio Caietani qui ait ita dictum esse eo quod quaedam caperent duas metretas quaedam vero tres coactissima est meo iudicio. Satis ergo est observare ad minus Dominum convertisse in vinum 12 metretas aquae ut omnibus esset evidentissimum miraculum. Porro iusta mensura metretae ut aiunt mensuratores est 72 sextariorum: est autem sextarius aliquanto maior ea mensura quam nos appellamus cuartillo, ita ut integer congius qui constat sextariis sex fere efficiat 8 cuartillos, 2 azumbres, atque adeo per bonam arithmetica integra metreta efficit 96 cuartillos, (porque si con 6 gano 8, con 72 gano 96, por regla de tres,) id est 3 arrobas, unde 12 metretae efficiunt 36 arrobas. Perpende hinc capacitatem maris aenei quod fecit Salomon capiebant enim 3V metretas, 2, pal. 4, id est 9 V arrobas. (Plinio l.14, c.ult. dice que su hijo, de Cicerón, bebía de un golpe 2 congios, que son 4 azumbres y Torcuato 3

²³⁶ CORNELIUS JANSENS, *Commen. In Concordiam*, c.18. Lugduni 1580, p.143.

²³⁷ CORNELIUS JANSENS, *Comment. In Concordiam*, c.18. Lugduni 1580, p.144.

congios, que son 6 azumbres spectante Tiberio Caesare.)

16. *Ferte architriclino*. Augustinus, S. Thomas²³⁸, Lyra et alii putant architriclinum fuisse primum convivium; alii credunt non fuisse convivium sed quem nos appellamus maestresala, maiori cum auctoritate presidentem convivio, et favet Chrysostomus²³⁹, Theophylactus²⁴⁰ et Euthymius²⁴¹. Vide Ester 1,8. Sed utcumque sit, sive architriclinus solum praesideat, sive etiam manducet cum caeteris, eum decebat esse primum miraculi testem. Dicitur autem architriclinus quasi praefectus triclinii, triclinum vero esse locus tribus lectis stratus ad convivium more antiquorum, qui recumbentes cenabant, lectus enim dicitur graece *cline*. Et licet aliquando plures lecti essent pro numero convivarum, utcumque sit, sive architriclinus solum praesideat, sive etiam manducet cum caeteris, eum decebat esse primum miraculi testem. Dicitur autem architriclinus quasi praefectus triclinii, triclinum vero esse locus tribus lectis stratus ad convivium more antiquorum, qui recumbentes cenabant, lectus enim dicitur graece *cline*. Et licet aliquando plures lecti essent pro numero convivarum, interdum quam pauciores, plerumque tamen tres lecti sternebantur quoniam veteres paucos ad convivium vocabant, scribit enim Marcus Varro libro qui inscribitur *nescis quid vesper serus vehat* convivarum numerum incipere oportere a numero Gratiarum et progredi ad numerum Musarum, id est, nec pauciores esse debere quam tres nec plures quam novem, ut refert Gellius l. 13, c. 11. Et Macrobius, 1 Saturnaliorum c. 7. Sternebantur hi lecti ab uno tantum latere et in singulis discumbebant singuli convivae aut etiam bini vel terni subiecto cubito pulvillo. Hos autem lectus fuisse altiores ostendit illud Virgilii inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto, longitude vero singulorum ut auctor est Aristoteles in suis Mechanicis q. 15, erat Paulo maior quam sex pedum, et latitudine trium. (Vide Philandrum l.6, c.5). Ex quibus colligitur pedes convivarum a tergo extra lectum exiisse ut facile potuerit Magdalena stans retrosecus pedes Domini lacrimis eos rigare. Hinc etiam intelligitur quomodo Ioannes recubuerit in Coena supra pectus Domini, erat enim in eodem lecto.

17. *Hoc fecit initium signorum Iesus*. Hic multi efficaciter ostendunt Christum non fecisse ante ullum miraculum atque adeo apocriphum esse librum de infantia Salvatoris. [f.41] Sed dices: nativitatem Christi fuisse miraculosam necnon exultationem Joannis in utero, prophetiam Elisabeth, Magorum adventum et apertionem coeli et descensus columbae et ieiunium 40 dierum et

²³⁸ THOMAS AQ., *Evang. Joannis*, c.2, n.8. Ed. Vivès 1876, p.759.

²³⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil. 22* (21). PG 59,135.

²⁴⁰ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 2,9s. PG 123,1194.

²⁴¹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Jn* 2,8. PG 129,1151.

40 noctium. Respondeo haec omnia potuisse fieri a Christo etiam qua homo erat, sed Evangelista loquitur de miraculis quae fecit Christus ad manifestandam gloriam suam palam, ita ut manifestum esset hominibus ab eo fieri. (Porque hizo el vino de agua per conversionem, y el pan de pan per multiplicationem, no transustanciación sino como generación miraculosa.)

18. Nota Gregorium²⁴², homil. 5 super Evangelia, tractando vocationem Petri et Andreae quam narrat Mt c.4, asserere istos Apostolos sequutos esse nullis antea visis eius miraculis sed simplici eius voce et tractu, et hoc dicit exaggerando eorum fidem. Sed haec sententia Gregorii si ut verba sonant accipiatur non est vera, ut patet ex historia Joannis quia illa vocatio contigit post carcerem Baptistae, et hoc miraculum ante illam; cui etiam miraculo verisimile est interfuisse filios Zebedei. Adde quod Lc c.5 scribit eos Apostolos viso miraculo captureae piscium motos fuisse ad sequendum Dominum.

(Age etiam de triplici statu Matrimonii: in primo, non est bonum hominem esse solum; in altero, bonum est homini mulierem non tangere; vino Cristo y hizo del agua vino, del contrato Sacramento.)

19. *Et crediderunt in eum discipuli eius.* Non quod antea non credidissent sed quod magis crediderunt et in eius exarserunt amore quia credere in Deum plus est quam credere Deo, quamvis hoc discrimen non semper servetur ut patet In 12 [42] *multi crediderunt in eum ex principibus sed palam non profitebantur* etc. De sensu spirituali vide Jansenium c.18²⁴³, ubi eleganter exponit allegorice, tropologice et anagogice. Vide etiam Cyrillum²⁴⁴ et Bedam.

Leectio 2

Post haec descendit in Capharnaum, etc

1. Non vult habitare Dominus in Nazareth quoniam *non est propheta sine honore nisi in patria sua* Lc 4 [24]. Sed mansurus in Galilaea elegit Capharnaum in qua habitaret diutius quam in alia civitate et ideo etiam post vincitum Joannem Mt 4 [13] legitur et *relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in civitate Capharnaum*: hinc est ut c.9 [1] idem Mathaeus appellet eam civitatem Christi dum ait *transfretavit et venit in civitatem suam*, ut interpretantur ibi Chrysostomus²⁴⁵, Theophylactus²⁴⁶ et Euthymius²⁴⁷, et aperte

²⁴² GREGORIUS MAGNUS, *Homil. 5 in Evangelia*. Pl. 76,1093.

²⁴³ CORNELIUS JANSSENS, *Comment. In Concordiam*, c.18. Lugduni 1580, p.145.

²⁴⁴ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Joannis Ev.*, l.1, 2,11. PG 73,227.

²⁴⁵ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt homil. 29* (30). PG 57,357.

colligitur ex Mc 2. Erat vero Capharnaum metropolis Galileae in monte Carmelo sita versus meridiem, ab oriente autem habet mare Tiberiadis ad 4 vel 5 milliaria, estque hodie mediocre oppidum ut describit Aranda tract.2, c.4. Videtur autem hanc urbem elegisse Dominus quoniam erat celeberrimum emporium totius Galileae ut doctrina latius spargeretur et corrigerentur mores hominum qui in eiusmodi emporiis solent esse valde corrupti.

2. *Et fratres eius.* Vide Epiphanium, l.3, haeresim 78²⁴⁸, et Hieronymum in proprio opere contra Elvidium²⁴⁹ et Castro l.10, verbo *Maria Virgo*, contra haereticos qui Christo tribuebant ex Matre germanos fratres. (S. Jerónimo Contra Elvidio c.9 atribuye este error a Tertuliano, y responde que no es de la Iglesia Católica Tertuliano²⁵⁰) Sed quoniam hoc est haereticum, quaeritur qui sint hi fratres Domini qui toties nominantur in Evangelio. Multi ex veteribus affirmant fuisse filios Ioseph ex alia uxore quam ante Virginem [f.41v] habuerat. Vide Mc 6 [3]. Ita Theophylactus²⁵¹, Euthymius²⁵² et notius Jn 7 [3] super id *dixerunt ad eum fratres eius*. Ita Epiphanius supra, et hos filios Iosephi asserit fuisse Iacobum qui dicitur frater Domini, et Iosephum qui dicitur etiam Ioses, et Simonem et Judam, et Mariam et Salome quae dicuntur sorores Domini. Praeterea Abdias l.6 Apostolicac Historiae, in principio, ait Iacobum fratrem Domini fuisse filium Iosephi. Idem ait Nicephorus l.2 [l.1], c.21, et l.3, c.10²⁵³. Et Euthymius Mt 11. Imo Chrysostomus²⁵⁴ homil.89 in Mt, et Theophylactus Mt 27 et Jn 19²⁵⁵ asserunt Mariam Jacobi esse Beatam Virginem non quod Iacobus fuerit eius filius sed quod putarint illum esse filium Iosephi. Hanc tamen sententiam Euthymius Mt 26²⁵⁶ absurdam esse dicit, et S. Thomas reprehendit 3p, q.28, a.3 ad ultimum²⁵⁷, et constat esse falsam quia Beata Virgo

²⁴⁶ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Mt.* 9,1. PG 123,226.

²⁴⁷ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Mt* 9,1. PG 129,302.

²⁴⁸ EPIPHANIUS, *Adversus 80 Haereses*, l.3, haer. 78. PG 42,711...

²⁴⁹ HIERONYMUS, *De virginitate perpetua B.Mariae, contra contra Helvidium*. n.9. PL 23,201s.

²⁵⁰ HIERONYMUS, *De virginitate perpetua*, n.17. PL 23,211.

²⁵¹ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Jn.* 7,3. PG 123,1322.

²⁵² EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Jn* 2,12. PG 129,1155.

²⁵³ NICEPHORUS CALLISTUS, *Ecclesiastica Historia*, l.1, c.21; l.3, c.10. [citat Judam]. PG 145, 698; 918.

²⁵⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt homil.88* (89). PG 58,777.

²⁵⁵ THEOPHYLACTUS, *Enarratio in Evang. Mt* 27,51 PG 123,474; *Enarratio in Evang. Jn.* 19,24-27. PG 124,278s.

²⁵⁶ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Mt* 27,56. PG 129,738.

²⁵⁷ THOMAS AQ., *3p, q.28, a.3*. Ed. Vivès, 1872, t.5, p.114.

nunquam in Evangelio solet nominari nisi Mater Iesu.

3. **Dico 1^o** hanc veterum sententiam de filiis Ioseph esse falsissimam, imo eam Hieronymus appellat temerariam, nam scribens contra Elvidium c.9 fine, ait "plerique non tam pia quam audaci temeritate fingunt", etc. [f.42] Et non excedit Hieronymus in nota, quia illud temere dicitur quod sine ullo fundamento asseritur; quod vero Iacobus et Ioses etc fuerint filii beati Iosephi ex alia uxore iam mortua non solum caret fundamento sed etiam videtur repugnare Sacrae Scripturae quia supposito quod appellatur Maria mater Iacobi et Iose non est Beata Virgo ut evidenter ostendunt Euthymius²⁵⁸ Mt 27 et Jansenius c.143²⁵⁹, et supposito quod Maria Iacobi et Ioses mater vivebat tempore Passionis Christi et erat cum Virgine iuxta Crucem Mt 27 et Mc 15, ergo non erant filii Iosephi ex alia uxore mortua. Et nota hic sponsum Virginis semper appellari Ioseph, de illo vero qui inter fratres Christi numerantur et dicitur filius Mariae Mc 15, 47 controversum est an appelletur Ioses vel Ioseph, de quo vide Franciscum Lu-cam²⁶⁰ in ultima annotatione super Marcum.

4. **Dico 2^o**, In Evangelio appellationem sororis Beatae Virginis non tribui nisi Mariae Cleophae vel Clopae, Jn 19 [25], sed compertum est hanc quae appellatur a Joanne Maria Cleophae esse eandem cum illa quam Mathaeus appellat matrem Iacobi, et unam et eandem esse matrem Iacobi et matrem Iose. Origenes²⁶¹ tract. ultimo in Mt prope finem. Ita Hieronymus contra Elvidium, et De viris illustribus in vita Iacobi²⁶², et Mt 13²⁶³ et 27²⁶⁴. Et Beda, Mc 15, et S.Thomas, Jn 19, lectione 4. Et probat bene Jansenius²⁶⁵ quia sororem Virginis ait Joannes appellari Mariam, et idem nomen tribuit Marcus matri Ioses et Mathaeus matri Iacobi, et cum Mt c.27 nominasset eas mulieres quae Dominum sequebantur et erant cum Beata Virgine, subdit c.28 *venit Maria Magdalena et altera Maria*, ubi satis significat ex caeteris nullam eo nomine appellari, maxime cum in graeco legatur cum articulo "y la otra Maria". Ergo haec eadem est mater Iacobi Minoris et mater Josiae et Mariae Cleophae sive uxor Alphaei, sed fortasse dicta est Mariae Cleophae eo quod pater eius diceretur Cleopas, ut

²⁵⁸ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Mt* 27,56. PG 129,738.

²⁵⁹ CORNELIUS JANSSENS, *Comment. In Concordiam*, c.143. Lugduni 1580, p.1041.

²⁶⁰ FRANCISCUS LUCAS BRUGENSIS, *In Sacrosancta quatuor J.C. Evangelia. Commentarius*. Mc 15,47. Antverpiae 1606, p.715.

²⁶¹ ORIGENES, *Commentariorum series, in Mt*, n.144. PG 13,1797.

²⁶² HIERONYMUS, *De viris illustribus*, II. PL 23,639.

²⁶³ HIERONYMUS, *Comment. in Ev. Mt*, c.13. PL 26,99.

²⁶⁴ HIERONYMUS, *Comment. in Ev. Mt*, c.27. PL 26,223.

²⁶⁵ JANSSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, p.146.

ait Hieronymus contra Elvidium vel quod Alphaeus esset binomius vel quod ante Alpheum habuisset alium virum nomine Clopa, nam quod alii dicunt sic fuisse appellata a filio quodam sicut dicitur Maria Iacobi et Maria Josis non est verisimile quia non est idem nomen huius Clopae et illius Cleophae qui fuit unus ex discipulis Christi ut patet ex graeco.

[f.42v]

5. Dico 3^o.

(Hypolitus Martir ait Salome, matrem filiorum Zebedei esse filiam cuiusdam Mariae sororis beatae Annae. Vide Caesarem Baronium in apparatu.)

(Que los hijos del Zebedeo eran primos hermanos de nuestro Redentor dícelo Abulense 20 Mt q.55; Dionysius Carthusianus, Hugo, Titelmanus Mt.)

Satis constare inter interpretes Salome esse matrem filiorum Zebedaei, sed hanc nullus Evangelista appellat sororem Virginis neque Mariam, unde utrumque sine ullo fundamento receptum est apud vulgum. Imo Jn c.19 dum inter eas foeminas quae Virginem comitabantur, unam solam appellant sororem illius, satis significat nullam ex caeteris esse sororem, alioqui non diceret *erant iuxta crucem Mater Iesu et soror eius* sed sorores eius. Vide ibi Hieronymum²⁶⁶ Mt 27 fine. Non est ergo verisimile filios Zebedaei fuisse consobrinos Christi neque consanguineos. Et confirmatur quia cognomen fratris Domini quod Iacobo minori saepe tribuitur ostendit eum sic fuisse appellatum ad differentiam alterius Iacobi. Ergo alter Iacobus non erat frater Domini. Quod si dicas non propter consanguinitatem sed propter simillimam Christo faciem fuisse appellatum fratrem Domini quia ut ait B. Ignatius in epistula 2 ad Joannem Evangelistam, facie, vita et conversatione ita Christum referebat ac si eiusdem uteri esset gemellus, Respondeo 1^{um}, hanc epistolam apud Doctores nullam habere auctoritatem. Respondeo 2^o, dato quod Iacobus Minor fuerit Christo simillimus, in appellatione tamen cuius constat aperta ratio consanguinitatis non est quod ad insolentem phrasim confugiamus et eum quem constat merito appellari fratrem eo quod fuisset consanguineum fingamus non ideo sic appellari sed propter similem faciem.

6. Ex dictis etiam efficitur nulla ratione verisimilem esse vulgi opinionem de multiplici matrimonio et prole beatae Annae, praeter quam quod ea opinio nonnihil continet absurditatis et videtur optata potius quam inventa ab eis quae patrocinium terciarum nuptiarum seu potius infirmitatis suae quaerunt. Vide Jansenium c.143²⁶⁷. Adde quod non tantum tribuebat Christi carni et sanguini ut dimidiam fere partem Apostolorum ex consanguineis eligeret, et praesertim eos quibus maiora familiaritatis signa aperte tribuebat. Imo sunt qui velint neque

²⁶⁶ HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 27,56. Pl 26,223.

²⁶⁷ CORNELIUS JANSENS, *Comment. In Concordiam*, c.143. Lugduni 1580, p.1040s.

Iacobum fratrem Domini fuisse ex numero 12 Apostolorum, quamvis eum Paulus ad Gal 1 apostolum appellet. Ita Adamus ad Rom 1, et ei aperte sufragatur Hieronymus, De viris illustribus²⁶⁸, et adducit verba Egesippi. Favet locus Act c.1,14 et quod habes supra c.7, lect.1, n.6.

—Et confirmatur, quia si sacri Doctores crederent aut suspicarentur filios Zebedei esse Christi consanguineos ea erat causa explicanda in illa petitione *dic ut hi duo filii sedeant* etc, et tamen explicantes rem nihil tale meminerunt, ut Hieronymus²⁶⁹ Mt 20, Glossa, Chrysostomus homil. 66²⁷⁰, Epiphanius²⁷¹ haeresi 69, Cyrillus 10. Neque Corona, thesaurus c.5; solus D.Thomas, 4 Contra gentes, c.8²⁷², meminit carnalis propinquitatis, sed fortasse explicandus est non de consanguinitate sed de familiaritate.

Sed multo verisimilior est communis opinio quae ait hunc esse qui inter duodecim appellatur Iacobus Alphaei, de quo vide Jansenium, c.19²⁷³; et probatur quia Mc 15 appellatur Iacobus Minor ille quem Mathacus appellaverat fratrem Christi et filium cuiusdam Mariae et germanum Joses; atque ita omnino videtur appellari Iacobus Minor ad differentiam alterius Maioris in eodem Collegio; ergo Iacobus Minor erat unus ex 12, et dicitur Minor respectu Iacobi Maioris qui fuit filius Zebedaei et frater Joannis. Et confirmatur quia si Iacobus frater Domini non esset Apostolus, non adeo illi deferret beatus Judas (Apostolus existens) ut honoris causa se illius fratrem appellaverit in principio suae canonicae et Act 1 [13] appellatur *Judas Iacobi*. Adde quod receptum est in Ecclesia Epistulas Canonicas scriptas esse ab Apostolis Christi. Et constat primam earum esse Iacobi fratris Domini et ultima Judae fratris Iacobi. Sed appellatur Simon inter Apostolos non videtur eorum frater quia dicitur Simon Cananeus et illi non erant cananaei. (No se por qué dicen que Iacobus Minor era mayor de edad: unde? Antes parece etc.)

7. Sed redeundo ad eos omnes qui *fratres* Christi in Evangelio appellantur nota omnes Apostolos atque discipulos appellari a Christo fratres humanitatis et amicitiae causa, sed aliud est eo modo compellari fratrem et aliud eo cognomine cognosci atque distingui. [f.43] Hoc ergo nomine appellantur Iacobus Minor et fratres eius quos Mc c.6 nominat Josem, Judam atque Simonem, et hos non esse filios Iosephi iam supra constat atque ita ea est communis opinio, Hieronymi ut

²⁶⁸ HIERONYMUS, *De viris illustribus*, II. PL 23,639.

²⁶⁹ HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 20,20. PL 26,148.

²⁷⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt homil.* 65 (66). PG 58,618.

²⁷¹ EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, h.69. PG 42,231.

²⁷² THOMAS AQ., *Contra Gentiles*, I.4, c.8. Ed Vivès 1874, p.485.

²⁷³ CORNELIUS JANSSENS, *Comment. In Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, p.146.

supra, Augustini 22 Contra Faustum c.35, et tract. 10²⁷⁴ in Joannem; Bedae²⁷⁵ Mc 6 et Lc 8; S. Thomae 3p, q.28, a.3 5^{un276}; Caietani Jn 12; Cypriani in vita Sti. Iosephi ubi etiam adducit Rupertum²⁷⁷ et Hugonem de Sto. Victore. Vide etiam Canisium De corruptelis, ubi adducit Gersonem, et vide Jansenium c.19²⁷⁸. Adde quod Lege sancitum erat ne quis duas sorores simul haberet uxores 18 Deut, propter consanguinitatem; ergo appellantur fratres Christi iuxta consuetudinem illius gentis et linguae.

((Aunque se llama Joses Justo no es *dixaios* sino *ioustos*. Nosti etiam de c 3^o in epitola ad Romanos. Traen a S. Agustín, sermón de Nativitate: no es suyo.))

8. Hinc etiam consequitur non opus esse ut quae appellatur soror Christi fuerit soror germana, cum communis traditio sit Beatum Ioachinum solum habuisse unicam prolem, et sicut appellantur omnes consanguinci fratres ut notat Augustinus²⁷⁹ Gn 13.8 ait Abraham se esse fratrem Loth et similiter Gn 24, 48, dicitur Rebeca esse filiam fratris Abraham. Sic etiam consanguineae sorores, vel fortasse quae appellatur soror Virginis erat germana soror Beati Iosephi aut coniux fratris atque adeo secundum hominum existimationem filii Alphaei erant consobrini Christi, patrucles autem non solum lingua hebraea sed etiam latina appellantur fratres, ut apud Ovidium 13 Metham. Ajax inquit de Aquile²⁸⁰ *frater erat fraterna...*

Ultimo nota, praeter consanguinitatem aliam esse excogitandam rationem cur cum discipulis et Matre ipsi quoque consanguinei sequantur Christum et cum eo abeant Capharnaum etc. Nec enim ita fieri solet sed fortasse ita diligebatur Christus a suis ut non possent ab eo divelli, aut stupefacti supradicti miraculi magnitudine rei exitum et praegnantis negotii partum videre ardentius cupiebant maxima expectatione concepta vel a Beata Virgine monebantur ut omnes post eum abirent visuri et audituri mirabilia. Aut fortasse isti quos Sacra Scriptura appellat fratres nutriti erant cum Christo et in eadem adhuc domo vivebant ita ut commigrante Christo et Matre omnibus esset commigrandum. 9. ***Et prope erat Pascha*** (incidebat enim in 14^{an} lunam, mensis martii) ***et invenit in Templo vendentes*** etc. Nota similem historiam narrari Mt 21,12, Mc 11,15 et Lc 19,45. Et Hieronymus²⁸¹ in Mt et Origenes²⁸² hic, tomo 11 videntur

²⁷⁴ AUGUSTINUS, *In Jn Evang. tract. 10*. PL 35,1467s.

²⁷⁵ VENERABILIS BEDA, *In Lc Evangelium expositio*, c.6. PL 92,399.

²⁷⁶ THOMAS AQ., *3p, q.28, a.5*. Ed. Vivès 1872, t.5, p.114.

²⁷⁷ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment in Ev. Jn*. L.3. PL 169,292.

²⁷⁸ CORNELIUS JANSSENS, *Comment in Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, p.144.

²⁷⁹ AUGUSTINUS, *In heptateuchum loquutionum libri 7*, l.1, 13.8. PL 34,489.

²⁸⁰ P. OVIDII NASONIS, *Metamorphoseon*, l.XIII, v.30. Amstelodami, 1727, p.857.

²⁸¹ HIERONYMUS, *Comment. In Ev. Mt 21,12*. PL 26,155.

narrationem Joannis cum aliorum narratione confundere. Verum evidenter colligitur ex Evangelistis hanc eiectionem e Templo quam narrat Joannes esse aliam ab ea quam caeteri narrant et tribus annis antea contigisse, nam haec facta est in primo Paschate post miraculum nuptiarum, et altera post triumphum Domini in ramis palmarum, quatuor aut quinque dies ante Passionem. Ita Augustinus, 2 De consensu Evangelistarum²⁸³, c.67, Chrysostomus²⁸⁴, Theophylactus²⁸⁵ et Euthymius hic et Mt 21, Janssens²⁸⁶ c.19, et fere omnes interpretes, [f.43v] ex quibus etiam patet mitius Dominum egisse in priori eiectione quam in posteriori, quia quamvis in praesenti fiat mentio flagelli et eiectionis ovium, quae in altera eiectione non explicantur, tamen asperius postea se egisse constat quia tunc evertit ipse cathedras vendentium columbas et prohibuit ne quis transferret vasa per Templum, et nunc ait *fecistis domum Patris mei domum negotiationis* postea vero dicit *fecistis speluncam latronum*.

10. Sed dubitatur quid sibi velit illud *omnes eiecit de Templo*. Caictanus et Jansenius²⁸⁷ existimant illud *omnes* referri ad oves et boves, et non ad vendentes, non quia illi quoque non sint eiectionis sed quia non videatur credibile eos Dominum flagello eieicisse. Quod si eis obiicias textum in quo habetur omnes eiecit de templo oves quoque et boves. Respondent in graeco non haberi oves quoque et boves se doves quam boves. Dico 1^o: certum esse non eieicisse Dominum omnes quotquot erant in Templo, quia non erat cur eiiceret eos qui sacrificabant vel orabant. Dico 2^o non posse negari quin illud *omnes* referatur ad vendentes et

nummularios, ut patet consideranti textum, id quod evidentius est in graeco, quia omnes est masculinum et probata, id est oves, est neutrum, et non permittit grammatica ut dicas v.gr. omnes iumenta et boves, atque ita proculdubio flagello eiecit Dominus ipsos vendentes et nummularios, et credibile est simul eiectionis esse omnes ementes ut in altera eiectione explicatur; atque ita perpendit Hieronymus²⁸⁸ rei magnitudinem, nimirum quod unus homo, et illo tempore contemptibilis, scribis et pharisaeis videntibus lucra destrui sua potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem et ea facere quae infinitus non fecisset exercitus. Praeterea Chrysostomus²⁸⁹, homil. 22, Cyrillus,

²⁸² ORIGENES, *Comment. in Jn*, T.10, n.15. PG 14,339.

²⁸³ AUGUSTINUS, 2 *De consensu Evangelistarum*, c.67. PL 34,1139.

²⁸⁴ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn Evang. homil.23*. PG 59,139.

²⁸⁵ THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev.enarratio*, c.2,13. PG 123 1195.

²⁸⁶ JANSSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, c.19.

²⁸⁷ JANSSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, p.147.

²⁸⁸ HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 21,15. PL 26,158.

²⁸⁹ Joannes Chrysostomus, *In Jn Evang homil.23 (al.22)*, PG 59,140.

Theophylactus²⁹⁰ et Euthymius aperte dicunt vendentes ipsos eiectione esse flagello. Imo et Erasmus in paraphrasi, quem Caietanus et Jansenius saepe solent sequi. Sed argumentatur Jansenius si vendentes eiectione sunt flagello quomodo Dominus ait vendentibus columbas *auferite ista hinc*. Respondeo non haec esse intelligenda mitius dicta sed asperius et una cum verberibus, neque id videri debet abhorrere a Domini mansuetudine nam zelus amantis facit ex agno leonem. Et vide hic D. Thoma et Jansenium²⁹¹ de maxima vi zeli et emulationis et de sensu illorum verborum *zelus domus tuae comedit me*

11. Perpende non posse vacare mysteriis quod Dominus Hierosolymis hanc dederit primam suae potestatis significationem, et hanc eandem postea dederit ultimam. Eiectione vendentium auspicatus est suam praedicationem et eiectione vendentium conclusit eandem ita ut hoc miraculum videatur annuli gemma et divinae encyclopediae pricipium et finis. Mysterium [f.44] hoc explicare pro dignitate aliorum erit. Dicam tamen brevi quae mihi occurrunt. Et dico 1^o non videri certum quod Hieronymus ait Mt 21 [15]²⁹² *igneum quidam atque sidereum radiasse ex oculis Christi et divinitatis maiestatem in facie luxisse atque ea ratione perterritam fuisse multitudinem*. Forsam Hieronymus non est intelligendus de materiali splendore sed de vultus gavitate et interiori potestate; quod si splendorem iudaei hausissent non postulassent *signum*. Dico 2^o multo melius intelligi miraculi magnitudinem si tanta multitudo commoveatur et perterreatur absque eo quod exterius aliquid videant. Dico 3^o, forsam esse rationem mysterii quod hoc sit maximum miraculorum Christi; nam Hieronymus²⁹³ aperte ait sibi inter omnia signa quae fecit Dominus hoc videri mirabilius omnibus. Et Origenes²⁹⁴ tomo 11 ait nullum esse miraculum Christi in quo maior eluceat virtus. Et in conversione aquae in vinum ostendisse Dominum suam potestatem super res inanimatas, in praesenti vero super tot myriadum ingenia et praestantissimas animae partes. Dico 4^o, ipsam miraculi repetitionem una cum circumstantiis principii et finis nobis maxime commendare id quod hoc miraculo continetur, nam caetera quidem proxime ostendunt virtutem Christi supra res inanimatas aut concionis efficaciam, sed in praesenti se ostendit Christus nostrorum omnium affectuum Dominum nam qui potest interius disponere ad terrorem simul potest ad amorem, ad devotionem, etc; sed erga indignos et reprobos satis ostendit suam potentiam interius eos terrendo. Tali ergo proculdubio nobis opus erat Messia qui posset subiicere sibi

²⁹⁰ THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev. enarratio*, c.2,13. PG 123,1198.

²⁹¹ JANSSENS, *In Concordium*, c.19, Lugduni 1580, p.147

²⁹² HIERONYMUS, *Comment. In Ev. Mt*, 21,15. PL 26,158.

²⁹³ HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 21,15. PL 26,158.

²⁹⁴ ORIGENES, *Comment. in Jn*, t.10, n.16. PG 14,351.

omnia et a quo mutationem cordis possemus efflagitare. Quid enim nobis prodesset eius potentia supra vinum et aquam, supra infirmitatem et salutem, supra vitam et mortem, imo quid coelestis doctrina nisi ille interius emolliret cor et sua gratia praeveniret atque disponderet? Hoc ergo miraculo vel maximam suam potentiam ostendit nobis Christus vel certe nobis maxime salutarem; et talem erga se experti essent omnes scribae et pharisaei si eam agnoscentes ei se subiiecissent; verumtamen maiori ex parte excaecati sunt propter superbiam et pertinaciam.

12. Praeterea multa videtur Chrysostomus eo facto adumbrare seu potius delineare voluisse quae nobis merito maxime commendantur. Et ne cui videantur mysticae tractationes huius miraculi parum esse ad rem et ad Christi intentionem animadvertat obsecro cum Augustino²⁹⁵ culpam vendentium et ementium ea quae ad sacrificia erant necessaria, et pro maiori commoditate commutantur pecuniae, non fuisse adeo gravem ut non solitum sit Christus alia indigniora patienter tolerare, praesertim cum oves et boves, columbae et nummularii non essent nisi in porticu exteriori templi (ut plerique notant). Adde quod hanc ipsam irreverentiam valde verisimile est Christum saepissime multis aliis diebus vidisse et tolerasse atque adeo ratio facti non tam desumenda est ex indignitate rei quam Christus corrigere volebat quam ex misteriis quae nobis eo facto commendavit. Simile est in maledictione arboris quam arefecit, Mt 21 et Mc 11.

13. Ergo in praesenti Origenes et Cyrillus existimant Christum significare voluisse non multo post auferenda esse sacrificia ovium et bovum etc, et iudaeos ab Ecclesia esse expellendos. Praeterea Augustinus²⁹⁶, [f.44v] Hieronymus²⁹⁷ et

Origenes²⁹⁸ putant Dominum designasse quam displiceant negotiatione, emptiones et venditiones in domo Dei, id est, affectus erga temporalia et eorum procuratio in templo animarum nostrarum, et praesertim hoc intelligendum videtur de religiosis qui sunt in Dei templa consecrati, in quibus indignum est ut aliqua adhuc maneat vel honorum vel voluptatum procuratio, etsi alioqui non sit illicita, quia saltem est aliena a religionis instituto. Origenes sigillatim descendit ad oves et boves et mensas æris, et interpretatur de affectibus animalibus, sive sint stulti ut oves sive utiles ut boves, et de affectu erga pecunias. Denique

²⁹⁵ AUGUSTINUS, *In Jn Evang* Tract. 10. PL 35,1468.

²⁹⁶ AUGUSTINUS, *In Jn Evang* tract 10. PL 35,1471.

²⁹⁷ HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 21,13. PL 26,157.

²⁹⁸ ORIGENES, *Comment. in Jn*, t.10, n.16. PG 14,350.

Christus dum his omnibus flagello expellendis zelatorem se praebet honoris divini hortatur singulos qui se in Dei templa consecrarunt ut simili zelo accensi si in se ipsis inveniunt oves, boves et mensas nummulariorum, id est, si affectus terrenos et animales, si negociationes, emptiones et venditiones etc, arrepto poenitentiae flagello con valerosa determinación a hecho y de hecho omnia eiusmodi depellant et soli Deo deinceps vacent. Et similiter hortatur Christus prelatos ut mundent suas ecclesias, monasteria, coenobia, etc, ab eiusmodi inquinamentis, cum auctoritate et potestate quam eis Dominus contulit. Aliter philosophatur Augustinus in flagello seu reste ex multis peccatis facta et aliter alii considerantes flagellum factum esse ex funibus quibus oves et boves ligabantur y dicen que con lo mismo que uno piensa que ata su negocio, con eso lo suele Dios castigar.

14. Vide etiam hic Hieronymum²⁹⁹ et Augustinum³⁰⁰ contra simoniacos qui vendunt columbam seu gratiam Spiritus Sancti et in Ecclesiam inducunt emptiones et venditiones, et vide caeteras rationes facti quas adducit Jansenius³⁰¹ ex Chrysostomo, Theophylacto et Euthymio. Porque no pareciere que quebrantando el sábado curaba poco de la honra de Dios. Sed circa litteram oportet examinare an praeter loci irreverentiam esset aliqua fraus et iniustitia in iis quos Dominus eiecit e templo. Hieronymus³⁰² putat nummularios fuisse usurarios qui mutuas dabant sub cautione pecunias et loco usurae accipiebant munuscula, et probat quia grece appellantur collybistae et collyba sunt vilia quaedam munuscula. Jansenius³⁰³ tamen probabiliter contendit collyba esse numismata qualia habent ii qui commutant pecunias, et eos nummularios credit fuisse in templo non ut mutuo darent sed ut commutarent pecunias pro maiore commoditate vendentium et ementium. Et certe Dominus dum sui rationem facti praebet solum ait *fecisti domum Patris mei domum negociationis*. Ergo iusta facti ratio est ipsa negotiatio alioqui licita. Et facit Augustinus³⁰⁴ qui ait *si negociatores excluduntur eo quod negociantur quid si inveniret ebriosos etc?* Vide hic etiam Jansenium³⁰⁵ contra Bedam³⁰⁶ qui sacerdotum fraudem et avaritiam credit fuisse causam propter quam Dominus eiecit vendentes, etc. Sed quamvis in prima eiectione non constet de ulla iniustitia, in posteriori

²⁹⁹ HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 21,13. PL 26,157.

³⁰⁰ AUGUSTINUS, *In In Evang tract 10*. PL 35,1470.

³⁰¹ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni, 1580, p.147.

³⁰² HIERONYMUS, *In Evang. Mt*, 21,12. PL 26,156.

³⁰³ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni, 1580, p.147.

³⁰⁴ AUGUSTINUS, *In In Evang tract 10*. Pl 35,1468.

³⁰⁵ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni, 1580, p.148?

³⁰⁶ VENERABILIS BEDA, *In Joannis Evang. Expositio*, c.2. PL 92,664.

proculdubio aliquid iniquum obreperat ut ex verbis Domini patet qui eos latrones appellavit. Porro ut melius intelligas in qua parte templi potuerint esse oves et boves etc, vide Josephum, De bello³⁰⁷, l.6, c.6, dic de cancellis etc et l.8, c.2, et 15 Antiquitatum³⁰⁸, c.14, et Historiam Scholasticam 3 Reg. c.15.

15. *Responderunt ergo iudaei quod signum ostendis nobis* etc. Quam stulte iudaei signum peterent, et de illo hebraeismo *respondere* pro *dicere*, optime Jansenius³⁰⁹. Sed nota ex Evangeliiis constare ter Dominum promisisse iudaeis pro divino signo suam mortem et resurrectionem, vide Mt 12,39, Lc 11,29, et Mt 16,4. Et de signo Ionae quod in eis locis explicatur optime Jansenius³¹⁰ c.49, f.381. Sed adhuc non caret scrupulo signum hoc quia *generatio prava atque perversa* iudaeorum cui promissum est signum non vidit Christi resurrectionem et vidit multa alia miracula; quomodo ergo dicitur signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae? Dico 1^o iudacos non quodlibet signum [f.45] postulasse sed aliquod signum quod efficaciter persuaderet mundo Christi auctoritatem et veritatem. Efficaciter dico et cum effectu, et probatur quia postea visis multis miraculis adhuc postulabant signum, et non est verisimile eos postulasse id ipsum quod videbant. Dico 2^o eiusmodi signum quale postulabant non fuisse exhibitum a Christo ante resurrectionem, quia licet aliqui antea crediderint sed erant adeo pauci ut nondum videatur mundo innotuisse Dominum Iesum esse verum Messiam. Dico 3^o non sic Dominum de sua resurrectione fuisse loquutum quasi de signo per quod essent iudaei credituri, sed potius ea ratione tacite praedicat ipsorum iudaeorum reprobationem et gentium conversionem, nam sicut Ionas postquam fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus egressus ex ore ceti relictis iudaeis abiit ad gentes et Ninivitas convertit ad Deum, ita etiam Christus tertia die resurgens transtulit ad gentes suam praedicationem et eas ad Deum convertit. Cum ergo petentibus signum praebet responsionem de sua Resurrectione perinde est ac si dicat ego praebebo signum relinquens vos et transferens lucem Evangelii ad gentes. *Generatio haec signum quaerit et signum non dabitur eis nisi signum Jonae prophetae*, no tengo de darles señal sino una que sea higa para ellos y conversión de la gentilidad. Ad eundem sensum quidem pertinebit quod hic ait Dominus: *solvite templum hoc* etc. si non solum de corpore naturali sed et de corpore mistico Christi intelligatur, nam occidentes Christum iudaei destruxerunt etiam Sinagogam sed resurgens

³⁰⁷ FLAVIUS JOSEPHUS, De bello iudaico, l.6, c.6. Colonia Agripina 1524, f.298.

³⁰⁸ FLAVIUS JOSEPHUS, Antiquitatum, l.8, c.2. Colonia Agripina 1524, f.85; l.15, c.14, f.175.

³⁰⁹ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni, 1580, p.148.

³¹⁰ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni, 1580, p.148.

Christus visus est aliam simul Ecclesiam suscitasse, licet nondum appareret eius magnitudo et excellentia.

16. Praeterea in hac Domini responsione nota non esse mendacium cum verbis utimur aequivocis etiamsi sciamus eos qui audiunt aliter esse intellecturos dummodo verba patiantur cum sensum quam intendimus, et evidens est eum qui non tenetur respondere, si velit loqui posse id enunciare quod non est ad mentem interrogantis ut fecit D. Franciscus interrogatus a satellitibus iudicis an fugientem reum vidisset quasi inadvertenter auriculam digito tangens illis ait dicens non transivit huc. Notum etiam est quod Athanasius dixerit obviam factus persecuti, et multa alia eiusmodi. Hoc tamen artificio sine necessitate uti odiosum prorsus est et indignum christiana simplicitate.

Sed dices: Christus Dominus non est ad hanc necessitatem redactus; ergo non debuit uti artificio. Respondeo maioris quidem gravitatis et auctoritatis esse nihil fingere etiamsi id esset alioqui licitum, verum fingere velle dicitur is qui curat aliter de se existimari quam veritas postulat; non tamen ille qui in sublimiori quandoque sensu loquitur, quam audientes intelligant, imo id est proprium eorum quos spirituales appellamus. Adde quod sensus verborum Christi quod iudaei perceperunt, licet ab eo non esset intentus nihilominus verissimum erat, quia si destructum templum ille vellet reedificare non solum tribus diebus sed unico instanti poterat. Unde nihil est quod ad summam veridici perfectionem requiramus in Christo, quamvis ex illius dicto satis instruemur non teneri nos ad mentem interrogantis respondere, atque adeo posse fallere sine mendatio si necessitas urgeat.

17. Praeterea notat bene Jansenius³¹¹ praeter alias rationes voluisse Joannem hoc scribere ut intelligeretur occasio illius testimonii contra Christum dicti: Hic dixit *possum destruere templum Dei* etc. Mt 26,61; *ego dissolvam templum hoc* Mc 14,58. Et nota id testimonium ab Evangelistis appellari falsum, [45v] non quod Christus in alio sublimiori sensu fuerat loquutus, non enim absolute falsus testis est qui refert quod audivit in eo sensu quem ipse percepit, sed falsitatis arguuntur testes quia ut apparet ipsi non audierant a Christo, et tamen iurarunt *nos audivimus* etc. Adde quod ipsi rumore sincero acceperant non simpliciter retulerunt sed malitiose deflexerunt ad irreverentiam erga templum, nam Christus non dixit solvam templum et reedificabo sed solvite vos et ego excitabo, et tamen illi aiunt Christum dixisse ego dissolvam, quasi contemneret illud templum et excidium eis minaretur. Adde quod *non erat conveniens testimonium illorum* nam fortasse de die et loco suam falsitatem

³¹¹ JANSENS, *In Concordiam*, c.19, Lugduni, 1580, p.149.

prodidere. Verum perpende admirabilem Christi amorem erga nos qui cum calumniam praevidisset ex suis verbis desumendam non solum non abstinuit ab eis verbis sed etiam propterea dixit ne tempore passionis deesset ei id genus calumniae quod solet gravem afferre dolorem, nimirum quod apparenter ex meis verbis nonnihil mutatis triumphare velit accusator et iustum contra me zelum ostendere. Id praevidissee et providisse et ab eis fere verbis auspicatum esse suam Hierosolymis manifestationem proculdubio ardentissimi amoris est. Id quod etiam in multis aliis dictis et factis Christi perpendere licet.

18. *Quadraginta sex annis aedificatum est templum hoc.* Sciendum est templum iudaicum ter fuisse aedificatum: 1^a a Salomone; 2^a a Zorobabele; 3^a ab Herode. De prima aedificatione vide 3Regum 6. De secunda 1 Esdrae 5. De tertia Josephum³¹² 15 Antiquitatum c. ultim.

1^a aedificatio absoluta est 7 annis et 4 mensibus, ut patet 3 Re 6 et 7 (atque adeo mendum est in Chrysostomo³¹³, Theophylacto³¹⁴ et Euthymio qui dicunt aedificatum esse 20 annis).

3^a vero aedificatio absoluta est intra 10 annos, ut patet ex Josepho.

Atque ita plerique existimant iudaeos loquutos fuisse de 2^a aedificatione, cuius fundamenta iacta sunt anno 2^o Cyri, (ut patet Esdrae 3. Jansenius c. 19³¹⁵ et Lyra etc hic, dicen que coepta est anno primo Cyri, sed errant.) Et propter impedimenta cessavit opus usque ad 2^{um} annum Darii. Et templum quidem interius finitum est anno 6 Darii, Gazophilatia vero et porticus anno Darii nono, ut constat ex Josepho, 1.2 Antiquitatum c.4, et ex Eusebio³¹⁶ 1.8 Demonstrat. Evangel., demonstr.2.

Dico 1^o non esse verisimile quod aliqui dicunt ut ab hac difficultate se expediant, nimirum iudaeos mentitos fuisse quando dixerunt 46 annis aedificatum est templum hoc.

Dico 2^o, satis probabiliter computari 46 annos aedificationis secundae a Vergara in Quaestionibus templi, quaest.2, supposito quod cronologia quam sequitur Jansenius et alii aberrat a veritate ut Doctores norunt. (Haec est cronologia Metastenis quam etiam sequitur Joannes Anius et Joannes Lucidus 1.4 De emendatione temporis c.2; Driedo³¹⁷ 3^o De dogmatibus c.5 prope finem 2^{ae} partis) Sed in hac re nihil potest esse usquequaque certum, praesertim cum

³¹² FLAVIUS JOSEPHUS, *Antiquitatum*, 1.15, c.14. Colonia Agrippina 1524, f.175.

³¹³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 23. PG 59,141.

³¹⁴ THEOPHYLACTUS, *In Jn Ev. enarratio*. C.2,18. PG 123,1199.

³¹⁵ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni, 1580, p.149.

³¹⁶ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Demonstratio evangelica*, 1.8, dem.2. PG 22,614.

³¹⁷ JOANNES DRIEDO, *De Scripturis et Dogmatibus ecclesiasticis*, 1.2, c.5. Lovanii 1556, f.71.

Eusebius supra colligat 49 annos durasse 2^{am} aedificationem. Sed computatio Vergarae est huiusmodi ut ex Cyro numerentur 29 anni, et postea ex Cambise et Masis 8 anni, et postea ex Dario 9, qui omnes efficiunt 46.

Dico 3^o, non esse verisimile quod Montanus ait nimirum ad corrigendos 46 annos id iniungendos esse annos 2^{ae} et 3^{ae} aedificationis, ut 2^a duraverit annos 19, et 3^a 27, [f.46] sed unde hoc ille acceperit non constat et non est in his rebus divinandum.

Et pro confirmatione **Dico 4^o**, non esse verisimile iudaeos loquutos fuisse de 2^a templi aedificatione, quia Herodes non solum amplificavit templum sed etiam a fundamentis aedificavit priore templo penitus destructo, ut patet ex Josepho et ex diversa forma et magnitudine edificii; ergo illud templum in quo iudaei cum Christo altercabantur non erat templum Zorobabelis. Alioqui cur magis de ea aedificatione loquuturi erant quam de ea quam fecit Salomon. Adde quod proculdubio in commendatione aedificii quod oculis cernebant dixerunt iudaei 46 annis aedificatum esse quasi opus fuerit ad eius consummationem 46 annis unde non erat hoc ad 2^{am} aedificationem referre quae non propter operis magnitudinem sed propter regis metum differebatur.

Dico 5^o, omnino iudaeos loqui de templo Herodis ut ratio postulat; quod si obiicias id fuisse aedificatum intra 10 annos, ut ait Josephus, l.15, c.14, respondeo ex eodem Josepho³¹⁸, l.6 de bello, c.6, constare post Herodem fuisse templum in dies amplificatum et exornatum, id quod per se satis erat verisimile, nam nullum fere est eiusmodi aedificium quod non accipiat in dies incrementa, et illud proculdubio habebat maximos redditus et eleemosinas ad fabricam ut aiunt, unde admiranda sunt quae de illo templo narrat Josephus tempore belli et multo maiora antea narraverat agens de Herodis aedificio. Quod ergo aiunt 46 annis aedificatum esse perinde est ac si dicerent quadraginta sex annorum spatio numquam intermisso opere laboratum esse in hoc templo aedificando et exornando summis impensis et summa animarum contentione. Sed dicat fortasse aliquis unde constet 46 annos esse operi impensos. Respondeo ex hoc ipso satis confirmari nostram explicationem, quia si semel admittatur post Herodis dedicationem non cesasse aedificationem, ut iam probatum est ex Josepho, numerus annorum mirifice consentit cum vera chronologia, quia haec obiectio iudaeorum cadit in annum 31 aetatis Christi ut supra vidimus, et templum Herodis ceptum est aedificari 15 annis ante Christi nativitatem, atque adeo 46 annis antequam flagello Dominus eiceret vendentes. Et probatur quia 18 anni regni sui coepit Herodes aedificare templum, ut Josephus ait l.15, c.14 in principio, et ille regnavit 37 ut patet l.17, c.10; unde iam habemus 20 annos aedificationis. Porro quando mortuus est Herodes omnes fere dicunt Christum fuisse iam quinquennem vel sexennem nam paulo post reversus est ex Aegypto,

³¹⁸ FLAVIUS JOSEPHUS, *De bello iudaico*, l.6, c.6. Colonia Agripina, 152 f.298. 4.

atque ita cum supradictis 20 annis non debemus coniungere 31 aetatis Christi sed demtis ad minus quinque annis manent 26 et efficiunt 46 a tempore quo Herodes coepit aedificare templum. Quod si dicas tempore mortis Herodis Christum fuisse septemnen facile est in computatione duos addere annos si ex 1^o et ultimo intelligantur solum assumi paucos dies atque ita 44 anni et pauci dies computabuntur pro 46 annis. Consentit chronicon Eusebii in quo Christus nascitur anno 32 regni Herodis et Herodes regnat 37 annos atque ita moritur anno Christi sexto.

[f.46 v]

19. *Et crediderunt Scripturae et sermoni quem dixit Iesus.* Habet hoc difficultatem nam videtur significare discipulos ante resurrectionem non credidisse Scripturae neque verbis Domini. Respondeo antea quidem eos credidisse in communi et sub quadam confusione, a bulto y a ciegas, sed postea cum oculis cernerent illud divinissimum templum Corporis Christi tertia die suscitatum et recordarentur verborum Domini in quibus id praedixerat, tanta repleti sunt et consolatione et sanctarum Scripturarum intelligentia ut tunc primum novo modo credidisse dicantur, nimirum distincte, profunde, affluenter atque potenter. (Vide lectione 1 fine.)

20. *In pascha in die festo.* Per septem dies celebrabatur solemnitas azimorum cui nomen Paschae tribuitur, sed primus dies aut etiam ultimus appellatur dies festus uterque enim erat sanctissimus et celeberrimus, Levit 23, ut apud nos dies festus et octavae. Ita Cajetanus, quamvis Jansenius³¹⁹ velit quemlibet diem azimorum appellari diem festum, sed magis placet Cajetanus.

21. *Non credebat semetipsum eis.* Cajetanus atque Jansenius³²⁰ existimant illud pronomen *eis* non denotare eos ipsos qui crediderunt in nomine eius sed in communi eos qui in solemnitate paschali Hierosolymis erant, et propterea Dominum eis non se credidisse quia non omnes ei credebant et ipse noverat omnium corda. Sed hoc potius est fugere difficultatem quam explicare textum, qui omnino videtur cogere ut intelligamus Dominum nom se credidisse credentibus, atque ita intellexerant omnes Patres, Origenes, Cyrillus, Chrysostomus³²¹, etc. et inter eos Augustinus³²² admiratur quod homines credant in Christum et Christus non se credat eis, et respondet hoc bene intelligi in catecumenis qui iam credunt in Christum et tamen nondum eis confidetur manna coeleste. Et similiter fere caeteri Patres intelligunt illos nondum perfecte

³¹⁹ JANSSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, p.149.

³²⁰ JANSSENS, *In Concordiam*. c.19. Lugduni 1580, p.150.

³²¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Jn homil.* 24. PG 59,143.

³²² AUGUSTINUS, *In Jn Evang tract* 10. PL 35,1475.

credidisse. Et hoc vult probare Origenes³²³ quia non dicuntur credidisse in Christum sed in nomine Christi vel in nomen Christi ut est in graeco. Augustinus tamen pro eodem reputat credere in Christum et in nomine Christi, id quod late probat Jansenius ex c.3,18 ubi confunduntur istae phrasae. Sed adhuc potest utraque de imperfecte credentibus intelligi.

Dico 1^o contra Jansenium: Christum non sui sed illorum rationem habuisse in eo quod eis non se credebat; vult enim Jansenius³²⁴ Christum caute cito rediisse in Galilaeam ne ante tempus traderetur, cum videret iam exardescere phariseorum odia, et postea ex Galilaea rediisse in terram Juda. Et sunt [f.47] qui dicant propterea non se credidisse credentibus quia videbat multos illorum esse inconstantes et facile moveri posse a pharisaeis ut illum eis traderent ad necem. Sed verisimilius est nondum de Christo occidendo fuisse cogitatum quia nondum acerbius eorum vitia obiurgaverat et nemo repente fit pessimus. Praeterea non debemus Christum facere adco sibi consulentem ut statim caveat a credentibus et amicis timens eorum inconstantiam. Et denique multo aptius est ut prospiciat aliorum infirmitati et propterea *non se credat eis*, id est nondum altiora misteria communicet, nondum palam de sua morte, resurrectione, etc, nondum de rerum omnium abnegatione eos doceat, quia angusti orificii vas aquam sensim instillatam recipit, ubertim effusam respuit, et *multa* Christus *habebat illis dicere sed non poterant portare modo* [Jn 16,12]. Forsam etiam visis signis et nondum audita praedicatione crediderant in nomen eius, id est virtutem eius ad facienda miracula sed nondum credebant ipsum esse Christum et Christus non se credebat eis, id est nondum suam divinitatem et officium eis revelabat quia eorum fides adhuc infirma tantae lucis splendore obrueretur potius quam adiuveretur et infantibus recens natis non decet solis claritatem obiicere. Et confirmatur quia Patres ita videntur intellexisse dum non ad timorem Christi sed ad illorum infirmitatem referunt causam quod Christus eis non se credat, id est quod non cum eis sua secreta communicet. Et ea etiam est phrasae inter amicos usitata, no fiarse de uno, id est no descubrirle los secretos. Tunc discimus non statim valde spiritualiter instruere eos quos verisimile sit nondum esse spiritualium rerum capaces. Et hinc etiam patet cur nobis Deus non se valde communicet etiam cum nobis videmur eius amicitiam expetere, quia ipse multo melius novit nostras vires. **Dico 2^o**, contra Jansenium³²⁵ c.21, et contra Glossam, non esse fingendum Dominum statim rediisse in Galilaeam quia quod dicitur abiisse in terram Juda est quasi Hispali exire in ditionem hispalensem salir de Sevilla a la tierra de Sevilla. Et probatur quia colloquium Domini cum Nicodemo omnino contigisse videtur Hierosolymis, ut fatetur

³²³ ORIGENES, *Comment. in Jn*, t.10, n.28. PG 14,394.

³²⁴ JANSENS, *In Concordiam*, c.19. Lugduni 1580, p.150.

³²⁵ JANSENS, *In Concordiam*, c.21. Lugduni 1580, p.159.

Jansenius c.21, et tamen post id colloquium subditur abiisse Dominum in terram Juda, ergo ex civitate Hierosolyma, et non ex Galilaea intelligendum est Dominum abiisse. Adde quod forsam terra Juda in praesenti appellatur sors tribus Juda, et Hierosolyma proprie pertinet ad tribum Benjamin, ut colligitur ex Jud 1,21, et clarius ex Josue 18, fine. Ita Lyra et Cajetanus et fere omnes super iis verbis c.4 et *abiit iterum a Judaea in Galilaeam* que dicen que aquella es la 2^a vez que fue de Judea a Galilea.

[L.47v]

C.3, lectio 1^a

De colloquio Domini cum Nicodemo

1. Multa hic praecclare Jansenius³²⁶ et praesertim ea quae pertinent ad eruditionem, id est ad varias explicationes et ad illius *serpentis* aenei cum Christo comparationem, sed adhuc in contextu optarem exactiorem diligentiam. Et non est in animo aliorum expositiones reicere sed solum indicare quomodo mihi videatur apte cohaerere colloquium. Nihil dicam de Sacramento Baptismi, de quo satis dixere multi in praesenti, sed quamvis is sensus sit intentus a Domino, ad litteram non tamen est primus sensus nisi fallor, sed quae Dominus de spirituali generatione in universum dixit, voluit ut ab Ecclesia peculiariter intelligerentur de baptismo, et ad eam intelligentiam accommodavit verba, ita tamen ut in communi spiritualis generationis ratione, abstrahendo ut aiunt a baptismo optime deducatur filium orationis; nec enim opus erat ut Nicodemus animadverteret sermonem esse de peculiari quadam cerimonia post tres annos instituenda et eius necessitatem tan cito agnosceret in ipso primo cum Domino congressu ita ut nisi statim suscipiat baptismum videatur arceri a Regno Coelorum et a Spiritu et in carnalis nominis sorde relinqui. Non est opus inquam ut id voluerit Dominus tunc intelligere Nicodemum sed satis est ut intelligat ad fruendum doctrina Christi opus esse in alium hominem mutari et quasi ex carnali spiritualem fieri et ex sene puerum, qui sermo et ad primum congressum aptissimus est et admirabilem continet doctrinam dum explicatur quid sit esse spiritualem et quomodo id contingat. Et hinc derivatur sermo ad alissima sacramenta dominicae incarnationis atque passionis et fidei in Christum. (La doctrina que es para todos es más universal y mejor no solo para bautizarse sino para hacer penitencia etc.)

2. De illa particula *denuo* vide Jansenium³²⁷ optime translatum esse a nostro quamvis plerique graecorum aliter intellexerint.

³²⁶ JANSSENS, *In Concordiam*, c.20. Lugduni 1580, p.151.

³²⁷ JANSSENS, *In Concordiam* c.20. Lugduni 1580, p.152.

Postquam ergo Nicodemus ingressus ostendit quam ipse opinionem haberet de Christo, nempe ut ipsi videbatur eximiam sed revera valde humilem, cum se doceri velle significaret, respondit Dominus non posse videri regnum Dei ab eo qui non fuerit nova quadam ratione natus. Si hoc videatur alicui non satis apta responsio poterit responsionis nomen pro more Sacrae Scripturae intelligere de loquutione in communi ita ut non significet Evangelista quod ad praedicta responderit Dominus sed quod postea ad eum loquutus fuerit. Vel cum ait *respondit Iesus et dixit ei* intellige prius ad salutationem respondisse et postea dixisse *nisi quis natus fuerit denuo*, etc. nec enim credendum est Dominum ex abrupto incepisse, sed Evangelista multis relictis ea narrat quae magis nobis erant necessaria. Porro quamvis Jansenius³²⁸ per Regnum intelligat visionem beatam omnino tamen crediderim Christum loqui de fruitione evangelicae doctrinae et hoc appellat introire et videre regnum Dei, neque hoc est alienum a phrasi evangelica sed potius valde in ea usitatum ut patet ex illius phrasibus *appropinquavit regnum coelorum, adveniat regnum tuum, regnum Dei non est escu et potus sed iustitia et pax*, etc. Ergo nemo potest introire in hoc regnum et his divitiis frui nisi vetus homo in eo moriatur et incipiat vitam agere spiritualem, quod ut significantius exprimeret Christur appellat eam novam nativatem in qua homo accipit omnino aliud esse, et vivit non iam ipse sed in eo Christus, qua etiam ratione allicit nos ad eam optandam felicitatem dum et nos ea ratione denuo nasci ait et quasi ex tenebris et angustissimo carcere ad spatiosa pacis et lucis regionem oriri ait, et ingredi et cernere quandam veluti possessionem felicissimi regni, quae omnia expertis nota sunt et nemo novit nisi qui accipit.

[f.48]

3. *Ait Nicodemus quomodo potest homo nasci cum sit senex* etc. Solent haec intelligi quasi valde rustice obiecta ab eo qui crasse nimis intellexerat quae a Domino audierat. Sed nisi fallor non erat adeo obtusus Nicodemus; solent tamen qui optant maiorem audire explicationem comiter oblicere id quod norunt esse alienum a mente docentis ut ea ratione humiliter significant se esse tardos et hebetes atque ita opus esse distinctiore dictionum expositione.

4. *Ait ergo Dominus oportere renasci ex aqua et Spiritu*. Quasi legis perito in memoriam adducens illud Ezech 36,26 *effundam super vos aquam mundam et spiritum novum* etc, et Zach 13,1 *erit fons patens in ablutionem peccatorum et auferam spiritum immundum* etc, et alludens Dominus ad baptismum Joannis ad quem multi eo tempore conveniebant ait opus esse spirituali quadam peccatorum ablutione aut veluti peccatorum in aqua submersione et deinde opus esse novo quodam spiritu ad quem homo emergat et per quem novum esse

³²⁸ JANSENS, *In Concordiam* c.20. Lugduni 1580, p.153.

accipiat et veluti nascatur spiritualis ut possit esse particeps regni spiritualis; ex prima enim nativitate ortus est homo ex carne atque adeo totus carnalis, et carnales seu terrenos affectus spirans, et proinde ineptus doctrinae coelestis perceptioni, sed si denuo nascatur non iam ex carne sed ex spiritu Dei tunc erit spiritualis et aptus regno Dei.

(Otros dicen que ad videndum oportet renasci ex aqua et spiritu quia visio fit in humore aquaeo sive christalino cum spiritu visuali; y otros dicen que animalia terrestria nata sunt ex terra Gn 1, sed aves et pisces ex aqua (sub quo nomine comprehenditur etiam aer) y que lo que dice Cristo es que oportet non esse amplius terrenos sed spiritualiter fieri aves vel pisces qui merguntur sed non submerguntur, etc. Verum haec non satis cohaerent.

Haec si perpendas (ait Dominus Nicodemo) desines mirari quod dixerim oportere vos nasci denuo et subdit

5. Spiritus ubi vult spirat et vocem eius audis sed nescis unde veniat aut quo vadat; sic enim est omnis qui natus est ex Spiritu. Graeci omnes aiunt voluisse Dominum ex venti comparatione explicare qualis evadat is qui natus est ex Spiritu; haec tamen sententia Augustino³²⁹ et quibusdam latinis non placet, 1^o, quia illa verba *Spiritus ubi vult spirat* tribuerent vento libertatem, et 2^o, quia non est adeo ignotum unde spiret ventus, id est an ab oriente in occidens vel e contra, imo fere nihil est notius et praesertim iis qui maritima incolunt. Nihilominus pro graecorum sententia videtur esse aperte ipse textus et praesertim illa verba *sic enim est omnis qui natus est ex Spiritu* quibus proculdubio absolvitur comparatio. Deinde si res bene intelligatur obiectiones supradictae non sunt ad propositum quia illa phrasid *ubi vult* idem significat quod hispane dicimus donde quiera sopra et latina ubilibet, id est in omni loco, et vox quae tribuitur vento est sonus ille sive stridor quem auribus percipimus, quod vero ignoretur *unde veniat aut quo vadat* perinde est ac si diceret non percipi sensibus quod ventum adeo vehementer moveat vel unde proveniat ille motus et quo tendat aer, id est quid intendat in eo motu qui non videtur esse secundum ipsius aeris naturam sicut motus lapidis ad centrum.

6. Haec explicatio valde confirmabitur ex egregio sensu et excellenti doctrina quam continet comparatio eo modo intellecta, nam proculdubio nulla potuit adduci similitudo quae ita ad vivum exprimeret effectus quos Spiritus Dei efficiunt in homine, id quod melius intelliges si ob oculos ponas non quemlibet ventum sed vehementem, et similiter non quemlibet iustum sed cum qui maiorem in modum divino Spiritu repente afflatur, ut Magdalena, Paulum etc, et in caeteris proportionaliter. Idem effectus suo modo intelligentur nisi quod

³²⁹ AUGUSTINUS, *In In Evang* tract 11. PL 35,1488.

repentina mutatio et magnus splendor faciunt ut res evidentius cernatur et clarius elucescat. Certe illa verba *ubi vult spirat* [f.48v] maximam venti potentiam videntur continere, nam qualibet irruere et ubilibet spirare, non solum ad subtilitatem refertur sed etiam ad excellentem vim cui nihil prorsus resistit, atque ita sane est nihil posse cum aeris spirantis potentia in his interioribus comparari, nam et arbores radicitus evellit, et nubes cogit et dissipat et tempestates et terraemotus commovet et denique nihil prorsus ei resistere potest quominus quodlibet obvium aut tollat aut rumpat aut denique cedere faciat et vincat. (*Spiritus robustus quasi turbo impellens parietem*, Is 25,4.) Et haec eadem vis est (ut bene norunt philosophi) quae in tormentis aeneis bellicis Jovis iram imitatur (ut aiunt) neque mirum quia eadem est quae vera fulmina torquet. Perpende igitur ex altera parte quos montes et quas difficultates obiciat caro, mundus atque diabolus ei qui velit omnibus renuntiare et solum Christum amplecti. Et tunc videbis quam bene quadret comparatio, quia si semel in eum irruat Spiritus Dei facile vincet omnia.

7. Sed multo iocundius est ad causam eius efficaciae attendere, nec enim omnes facile cernunt unde veniat sive unde proveniat tam vehementer in aere motus cum sit alioqui res adeo mortua et sine vigore ut neque muscam occidere posse videatur (imo neque illi resistere); sed nimirum aer non sortitur ex propria natura tantam virtutem sed eam habet ex superiori quodam impulsu quem postulat ordo universi, est enim aer veluti spiritus et anima mundi qui per poros omnia penetrat et sua subtilitate nescio quid spirituale imitatur et omnibus fere actionibus deservit et habet se in mundo sicut spiritus vitales in animali, atque ita videtur aeri peculiariter incumbere ut ipse universi constitutioni attendat et curet ne detur vacuum in natura neque penetratio dimensionum, et ad hoc praestandum indita est ei coelstis quaedam vis et plane divina adeo vehemens ut nihil ei prorsus resistere possit. Hoc peculiariter elucet inventorum origine cuius specimen nobis praebet id tormentum quod appellamus Arcabuz, in quo igne summa cum celeritate accenso et aere inflammato necesse est ut aer valde extenuetur atque adeo cum eadem celeritate exeat ex illa ferrea canna et secum deferat quodvis obvium licet sit plumbeum aut ferreum nam materia inflammata opus est ut multo maiorem occupet locum quam antea occupabat, atque ita iam canna ferrea non capit quod antea capiebat et necesse est vel ut media rumpatur canna vel ut aer instantaneo pene motu incredibili quodam impulsu exeat et quolibet spiret. Hoc exemplum docet aliquid simile contingere in terrae motu et in ventorum origine, nempe ex aliqua celeri et magna inflammatione provenire ut subito terrae moles concutiat et montium fundamenta conturbentur vel etiam terra dehiscat; et similiter ut aer adeo vehementer spiret ut obvía quaeque prosternat, proiciat, dissipet atque disturbet, quia necesse est ut *spiritus ubi vult spiret*.

8. Omnis ergo qui natus est ex Spiritu necesse est ut eius spiritus naturam referat de quo in principio Genesis dicitur quod ferebatur super aquas, nempe maxima cum vehementia multae se obiciunt difficultates volentibus renuntiare mundo, carni atque diabolo: opponit se pigritiae plumbum et montes superbiae et mare deliciarum, sed nimirum [f.49] divini amoris flamma concepta tan vehemens impetus spiritus subsequitur ut summa cum facilitate proiciat atque prosternat omnia vel etiam non multa secum deferat et ad Christum expeditam inveniatur viam per quam non solum ambulet aut currat sed etiam spiret, id est vento citius deferatur. (Y en este movimiento no atiende el hombre a su propia inclinación sino al bien universal a que se consagra, y a dejarse mover del Autor de la Naturaleza, sic aiunt philosophi, ascensum ad replendum vacuum fieri ab Auctore Naturae.) Perpende in Magdalena et in Paulo subitot flammae coelestis effectus et videbis eos qui ex spiritu nati sunt quolibet sine ulla difficultate spirare. Praeterea nota aerem inflammatum fieri multo subtiliorem atque adeo penetrare posse quo antea non penetrabat, fiunt ergo multo dociliores qui ex Spiritu nascuntur et ex grossis et tardis fiunt subtiles et faciles et revera multa iam facile intelligunt quae videbantur eis antea impossibilia, et facit etiam hic sensus ad intentionem Domini qui significare volebat Nicodemo propterea eum non satis intelligere quae de spirituali regeneratione dicebantur quia erat adhuc carnalis et quod factus spiritualis facile penetraret sensum quia *Spiritus ubi vult spirat*.

9. Praeterea si velis ex Sacra Scriptura confirmare supradictum sensum in quo sumitur comparatio ex aeris vehementia ab aliqua inflammatione proveniente, vide illud Mt 3,11, et Lc 3,16, *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto et igne*. Perpende etiam *virtutem supervenientis Spiritus Sancti* Act 1,8, la gran fuerza del aire Santo. Sed Spiritus vehementia et sonus et ignis multo clarius elucent Act 2 *factus est repente de coelo sonus tanquam adventientis spiritus vehementis, et apparuerunt linguae ignis. Spiritus robustorum* Is 25,4. Tiró el cielo aquella gran pieza de artillería, oyóse el espantoso tronido y divisóse la llama del fuego, murió el viejo Adán y consumiósse la carne y quedó al fuste el espíritu del cielo con calidades de Espíritu celestial que ubi vult spirat, et vox quidem sive sensus, id est effectus percipiuntur sensibus, sed unde proveniat tanta virtus et quid intendat homo spiritualis, id carnis sensus non percipit quia neque movetur ex propria naturae inclinatione neque intendit divitias vel honores vel voluptates terrenas, neque aliquid eorum quae sub sensibus cadunt: *non contemplantibus nobis*, ait Paulus, *quae videntur sed quae non videntur: quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna* [2Cor 4,18]. Et 1Cor, 2 *animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei*.

10. *Tu es magister in Israel et haec ignoras?* Id est, non debueras haec ignorare, cum sis eximius inter magistros Israelis et excellens inter Rabbinos, ponitur enim Magister cum articulo in graeco. Ex hac vero Domini correptione

satis colligitur non voluisse Dominum ut de Sacramento Baptismi supradicta intelligeret Nicodemus, neque enim corripere eum quod non intelligeret necessariam sibi esse susceptionem Baptismi; illud tamen iure reprehendit Dominus quod v.g. Doctor in Theologia insignis, et professione religionis venerandus non intelligat ad fruendum doctrina coelesti opus esse nova quadam veluti generatione seu novo spiritu per quem homo moriatur peccato et soli Deo vivat; deinde sudit Dominus se non audita loqui et quasi recitare memoriae mandata, sed ea potius explicare quae sibi comperta sunt et quorum evidentia et comprehensio adducit ei persuadendi voluntate: res sane maximi momenti et valde perpendenda iis qui concionandi vel docendi munus obeunt, ut ex abundantia cordis os loquatur. Porro quod Christus de se loquens utatur numero plurali Rupertus³³⁰ putat non vacare misterio sed ea ratione tacite subindicari Christum non esse solum ut ipse ait c.8 et Patrem simul cum illo testificari atque adco legitimum esse illorum testimonium quia etiam duorum hominum testimonium verum reputetur in lege.

11. *Et testimonium nostrum non accipitis.* Sunt qui velint Nicodemum simul cum comitibus accessisse ad Christum quia Christus videtur cum pluribus agere, dum ait *non accipitis*; sed verisimilius est eum qui [f.49v] non ausus est de die convenire Christum sed de nocte ad eum venit, venisse solum. Et si secum adduxisset aliquos eos adduxisse qui eandem cum illo conceperant de Christo opinionem quandoquidem coram eis dixit *scimus quia a Deo venisti Magister*, atque adeo manet integra difficultas quomodo ad eos qui iam credebant in eum Dominus dicat *non creditis, non accipitis meum testimonium*. Neque satis est eos nondum perfectam habuisse fidem quia saltem crediderant ea quae audierant qui dicebant ipsum esse a Deo missum Magistrum. Quare potius dixerim vel Dominum ea phrasi significare Nicodemum non satis intelligere et propterea non satis recipere neque satis credere doctrinae, quia quanvis credat esse veram nondum tamen satis penetrat, de quo vide c.2, lect.1 fine et lect.2, n.19, vel potius dixerim Dominum agentem cum uno Pharisaeo non ad peculiarem eius opinionem sed ad communem pharisaeorum incredulitatem respexisse, ut postea samaritana c.4,20 *et vos dicitis quia Hierosolymis est locus ubi oportet adorare*. Ut si cum uno dominicano agam, quanvis mihi constet illum mecum sentire, nihilominus respiciendo ad communem eorum opinionem dicere possim han dato vuestras reverencias en sustentar que Maria Santisima tuvo pecado original, etc. Et nota etiam hic cum Nicodemo in primo congressu non blande et submisse sed graviter et severe agere Dominum, nam proculdubio talem se

³³⁰ RUPERTUS TUITIENSIS, Comment in Jn, l.2. PL 169,318.

gerebat erga potentes qui erga pauperes et abiectos suavissimus erat.

12. *Si terrena dixi vobis et non creditis quomodo si dixero vobis coelestia credetis?* Quidam per terrena intelligunt comparationes desumptas a rebus inoffensivas ut a vento flante, id est si adductis similitudinibus rerum sensibilibus mihi non creditis, quomodo crederetis si de rebus coelestibus agerem prout in se sunt et non vestro captui eas per similitudines accommodando. Non tamen placet iste sensus quia similitudines deserviunt ad explicationem sed non faciunt fidem atque ita non sunt magis credibilia misteria coelestia cum similitudinibus quam sine illis, praeterquam quod misteria coelestia per comparationes explicata adhuc sunt coelestia atque in illis etiam habet locum illa interrogatio *quomodo si dixero vobis coelestia credetis?* Quare, aut doctrina de regeneratione spirituali appellatur coelestis respectu alterius multo inferioris quam Dominus praedicaverat, ut contra avaritiam, contra luxuriam, etc, aut doctrina de regeneratione spirituali appellatur terrena respectu misteriorum supernaturalium ut de Incarnatione, de Eucharistia, de Trinitate, etc, quae sunt plane coelestia et utique sensus aptissimus est 1^{us}, quasi diceret non mirum est quod non percipitis coelestem de spirituali nativitate doctrinam, quandoquidem me humi fere repentem nec ita verba attollentem sed solum vestra vitia persequentem audire nolulistis. 2^{us} sensus est quasi diceret mea doctrina continet alia tanto sublimiora his quae audistis de spirituali generatione quanto distat coelum a terra; si ergo terrena adhuc tractanti non creditis quomodo si coelestia dixero credetis. Nota medium comparatum ad unum extremum induere denominationem alterius.

13. *Et nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo Filius Hominis qui est in coelo.* In horum verborum explicatione collimavit proculdubio Jansenius. Contextus autem mihi videtur esse huiusmodi: si in rebus non ita sublimibus increduli estis quomodo credetis si vobis coelestia dicam. Porro si mihi in coelestibus non creditis, a quo discetis ea, nam ex hominibus solus ego perlustravi coelos omnes et quae in eis continentur. Porro in terram descendi manens in coelo, ut in terra exalter ad modum serpentis aenei ut omnis qui crediderit in me non pereat sed habeat vitam aeternam. Haec autem adinventatio orta es ex Dei eximio erga mundum amore, *sic enim Deus dilexit mundum* ut miserit me Unigenitum Filium suum non ut condemnem mundum propter peccata sed ut eum a peccatis liberem; atque ita qui rite crediderit [f.50] in me non condemnabitur; qui vero non crediderit iam ipse sua se infidelitate condemnat et non tan a Deo quam a se ipso condemnatur quandoquidem respuit suam salutem sicut qui olim a serpente percussus nollet aspicere in serpentem aeneum. Eiusmodi enim condemnatio qua multi seipsos condemnant inde oritur quod ego adducens remedium adduxerim etiam lumen, et *dilexerunt homines magis tenebras quam lucem quia qui male agit recusat accedere ad lucem* qui

vero voluerit in veritate coram Domino ambulare libenter ad me accedet ut opera eius coram Deo vel Deo auctore facta per me tanquam per veram lucem manifesta fiant. Mira la facilidad del remedio: rite in serpentem aspicere, ita rite in Christum credere.

14. In hoc contextu nota 1^o Christum quamvis obscure docere ea ipsa coelestia misteria quae pharisaeos dixerat minime credituros, unde patet non id dictum esse propter ipsum Nicodemum, sed obscure quidem Christus, quia nondum se omnino credit Nicodemo ita tamen ut in praesenti sublime aliquid de Christo conciperet et huius colloquii memoria tempore passionis ei esset praesidio et adiumento, quo etiam consilio saepe discipulos de sua Passione praemonuit. Sed cum rabino oportuit gravius agere et aliquid ex Sacrae Scripturae arcanis afferre. Adduxit autem Dominus admirabilem plane suae Passionis figuram, de qua docte Jansenius³³¹ hic. Nota 2^o in supradictis verbis Christi aliquid esse difficultatis in eorum clausula, ubi ait *qui autem facit veritatem venit ad lucem ut manifestentur opera eius quia in Deo facta sunt*. Ubi videtur Dominus praesupponere aliquos esse qui faciant veritatem antequam ad ipsum accedant per fidem, et si facerent veritatem non indigerent remedio quia non essent a serpente percussi. Respondeo non omnes peccatores odisse lucem sed eos qui volunt in peccatis iacere et ii plerumque sunt multis flagitiis atque peccatis cooperti. Qui vero bonam habent voluntatem bene vivendi quamvis indigeant remedio sed iam Deo auspice aliquid est in eis quod velint divino lumine illustrari, et saepe etiam iuvat ad hoc anteactae vitae nonnulla in virtutibus diligentia qualis ante Christi gratiam in multis Deo favente visa est. Respondeo secundo, Christum loqui de iis qui ex gratia Dei inter iudaeos bene vivebant, ii enim libenter ad lucem evangelicam accessere et in ea invenerunt letitiam atque remedium. Illam phrasim veritatem facere explicant quidam iuxta id quod veritas est impletio promissorum, videtur enim unusquisque quodammodo polliceri se in officio victorum, quod si facit dicitur stare aut ambulare in veritate. Ad Ephes 4 *veritatem faciamus*, etc.

15. Quomodo ex civitate Hierusalem dicatur Christus venire in Iudaeam diximus c.2 fine. De baptismo vero quem Christus per discipulos coepit exercere satis multa multi. Jansenius³³², c.23, fere in principio. Et de reliquo huius capituli optime Jansenius c.21 Concordiae.

Illum oportet crescere etc, nosti quomodo Augustinus accommodet sermone 36 de sanctis et sermone 25, a que Cristo fue estendido y S.Juan degollado etc.

³³¹ JANSENS, *In Concordiam*, c.20. Lugduni 1580, p.157.

³³² JANSENS, *In Concordiam*, c.23. Lugduni 1580, p.167.

Non enim Spiritum suum dat Deus ad mensuram. La mejor declaración es quasi diceret si que no hemos de ser todos como cabos de sujetar. Unde non habent hic locum disputationes scholasticorum de infinitate gratiae Christi, y aunque tratara de Christo, *dare in mensura* es dar poco y por tasa, Judit 7, et Ezech 4 [11]; et dare *sine mensura* es dar mucho en gran abundancia 1 Esdr 6 y Oseas 5.

[f.50v]